DE MARTIANO
CAPELLA EMENDANDO

MNEMOSYNE

BIBLIOTHECA CLASSICA BATAVA

COLLEGERUNT

W. DEN BOER • W. J. VERDENIUS • R. E. H. WESTENDORP BOERMA

BIBLIOTHECAE FASCICULOS EDENDOS CURAVIT

W. J. VERDENIUS, HOMERUSLAAN 53, ZEIST

SUPPLEMENTUM DUODEVICESIMUM

JACOBUS WILLIS

DE MARTIANO CAPELLA EMENDANDO

LUGDUNI BATAVORUM E. J. BRILL MCMLXXI

DE MARTIANO CAPELLA EMENDANDO

SCRIPSIT

JACOBUS WILLIS

LUGDUNI BATAVORUM E. J. BRILL MCMLXXI

Copyright 1971 by E. J. Brill, Leiden, Netherlands

All rights reserved. No part of this book may be reproduced or translated in any form, by print, photoprint, microfilm, microfiche or any other means without written permission from the publisher

PRINTED IN THE NETHERLANDS

Martianum Mineum Felicem Capellam, scriptorem non per se quidem inter difficillimos numerandum, sed librorum corruptelis adeo deformatum, ut nulla non pagina meras sphingas et monstra exhibeat, mira et constanti malevolentia Tyche persecuta est; nam cum ad verborum memoriam sanandam opus esset quadam industria simul ac mentis acumine, evenit ut inter Martiani editores essent, qui ab ingenti labore non abhorrerent, essent quoque, qui satis acute judicare possent; verum qui simul adeo φιλόπονος esset, ut immanem librorum manuscriptorum struem diligenter examinare vellet, eoque judicio praeditus, ut quid inde discendum esset agnosceret, usque ad nostra tempora nullus extiterit. Itaque factum est, ut quinto jam saeculo post editionem principem elabente, adhuc ita turpis ac sordidatus circueat Martianus, ut nemini misericordiam movere non debeat. Sed ne quis forte ab ipso quasi limine disputationi meae ita obsistere velit, ut Martiani verba satis integra ad nos pervenisse proclamet — nam nostra aetate inveniuntur, qui nullas non corruptelas cupide amplexentur, ut Marastonius in Statii Silvis, ne plures enumerem — nonnulla jam proferam, quae satis ostendant in ipso archetypo mille modis verba fuisse corrupta.

2K.: p. 4, 9-11 Quid istud, mi pater, quod nondum vulgata materie cantare deproperas et ritu nictantis antistitis, priusquam fores aditumque reseraris, ὑμνολογίζεις?] ὑμνολογίζεις conj. Dickius; γυμνολογυσεις, γυμνολογισεις, γυμνολογευεις et similia codices.

4K.: p. 6, 1 Ianusque Argionam utraque miratur effigie ...] Sic libri ad unum, sed quaenam dea sit Argiona, nemo novit. De Angerona agi putavit Grotius, de Carna Prellerus *Römische Relig.* 163, n. 3.

7K.: p. 8, 1-4 Anie autem praenitens speculum ... quo se renoscens etiam originem vellet exquirere, clementi benignitate largita.] Anie aeque ignota est atque Argiona; Grotii conjecturam *Uranie* omnes necessariam esse consenserunt.

42K.: p. 26, 11-14 ... ipsius collegae Iovis, qui bis seni cum

eodem Tonante numerantur, quosque distichum complectitur Ennianum:

> Iuno Vesta Minerva Ceresque Diana Venus Mars
> Mercurius Iovis Neptunus Vulcanus Apollo.]

Sic emendavit editor princeps; pro *Iovis* libri omnes habent *Iuppiter* vel *Iupiter*.

62K.: p. 29, 11-15 Tunc elementorum praesules atque utilitatis publicae mentiumque cultores omnisque populus potestatum quis Numae multus successor indicat qui confestim omnes Iovis imperio convocati, in aulam caelitem convibrantibus venere sideribus.] "Locum pro desperato reliqui," notat Dickius; priores editores diversis modis emendare conati sunt.

142K.: p. 61, 20-62, 3 Tunc Philologia ... Athanasiae primitus supplicavit matrique eius gratiam multa litatione persolvit, quod nec Vedium cum uxore conspexerit, sicut suadebat Etruria, nec Eumenidas ut Chaldaea miracula formidavit, nec igne usserit nec lympha subluerit, nec animae simulacrum Syri cuiusdam dogmate verberarit, nec Phasi senis ritu Charontis manibus involutam immortalitatem mortis auspicio consecrarit.] Qui potest haec capere, capiat. 'Locum obscurissimum' vocat Koppius; addidisset et corruptissimum, si ullum unquam locum corruptum aestimasset.

250K.: p. 93, 5-7 D ... M litterae nunquam praefertur in latinis, in graecis autem aliquando, ut Dmolus.] Quis vel quid sit iste Dmolus, ex augurali fortasse, ex critica disciplina nunquam cognosces.

Sed vereor, ne nonnulli sint, qui pauca haec esse dicant et ex permultis paginis magno labore quaesita; itaque, ut rem amplius confirmem, versiculos illos exhibebo, quibus totum opus concluditur, ut palam fiat, quot quantaeque corruptelae in versibus minus triginta reperiantur. Dabo ut in Dickiana exprimuntur, additis variis lectionibus, quae in duobus libris antiquissimis Reichenauensi et Bambergensi inveniuntur. Locus est 997K.: p. 533, 11

Habes senilem, Martiane, fabulam,	sanile R^1, senile B^1
miscilla lusit quam lucernis flamine	miscillo RB quem RB
Satura, Pelasgos dum docere nititur	
artes cathedris vix amicas Atticis,	cathedris] cagris RB^1

sic in novena decidit volumina.		
haec quippe loquax docta indoctis aggerans		adgerans RB^1
fandis tacenda farcinat, immiscuit		
Musas deosque, disciplinas cyclicas		deoque RB^1
garrire agresti cruda finxit plasmate.		placmatae RB^1
hac ipsa namque rupta conscientia		nauque R^{1}B^1
turgensque felle ac bili 'multa chlamyde	vile R^{1}B^1	clamitae R^{1}B
prodire doctis approbanda cultibus		
possemque comis utque e Martis curia;		
Felicis' inquit 'sed Capellae flemine	capillae R^{1}B^1	flamine RB^2
indocta rabidum quem videre saecula		ravidum RB^1
iurgis caninos blateratus pendere		lurcis R, lurgis B
proconsulari vero dantem culmini		proconsolari RB^1
ipsoque dudum bombinat ore flosculo		bobinatore RB^1
decerptum falce iam canescenti rota	decertum RB^1	fulquem RB^1
beata alumnum urbs Elissae quem vidit		videt R^{2}B^1
iugariorum murcidam viciniam		
parvo obsidentem vixque respersum lucro		obsidem RB^1
nictante cura somnolentum lucibus —		nictanta RB
ab hoc creatum Pegaseum gurgitem		creata R
decente quando possem haurire poculo?		posse RB^1
testem ergo nostrum quae veternum prodidit		nostrumque RB^1
secute nugis, nate, ignosce lectitans.		secutae RB

Si quis forte adhuc dubitet (licet vix humanum putem) Martiani verba misere corrupta ad nos pervenisse, is velim aliquot locos inspiciat, quos cum Martiani auctore conferre possimus.

Plin. h.n. 3, 95: Hactenus de primo Europae sinu. a Locris Italiae frons incipit Magna Graecia appellata, in tres sinus recedens Ausonii maris, quoniam Ausones tenuere primo. patet $\overline{\text{LXXXXVI}}$, ut auctor est Varro.

Mart. 649K.: p. 319, 5 Hic primus Europae sinus Ausonii maris patet nonaginta sex milibus quique tres sinus habet.

Plin. h.n. 4, 24: In ora ... portus Schoenos, oppida Sidous, Cremmyon, Scironia saxa $\overline{\text{VI}}$ longitudine, Gerania, Megara, Eleusin. fuere et Oenoe et Probalinthos. nunc sunt ab Isthmo $\overline{\text{IV}}$ Piraeus et Phalera portus $\overline{\text{V}}$ muro recedentibus Athenis iuncti.

Mart. 653K.: p. 322, 13 (ut a Dickio constituuntur): In ora

autem portus cui nomen Scironia saxa, [viginti] sex longitudine, quinque milium passuum muro a mari recedentibus Athenis <iuncta>. Atticae fontes ibi multi...

Atque hoc quidem satis abunde jam demonstratum puto, verba Martiani Capellae corruptissima ad nos pervenisse. Eo nunc progrediar, ut quid in corruptelis sanandis viri docti profecerint, quam potero brevissime recenseam.

Editor princeps Franciscus Vitalis Bodianus, cujus editio Vicentiae an. 1499 prodiit, supra duo milia a se loca reposita esse gloriatus est; et certe non pauca barbariae monasticae vestigia abstersisse aestimandus est, ut 42K.: p. 26, 14 *Iovis* pro *Iuppiter* reponens; 102K.: p. 43, 17 *bivium* pro *vim*; 132K.: p. 58, 7 *Charites* pro *cantes*, quas canendi deas interpretabantur Remigii; 26LK.: p. 95, 23 *contractis* pro *corrasis*; 635K.: p. 310,19 *opibus* pro *oppidis*. Sed tamen id quod ad auctorem emendandum profecit, non ita magni momenti videtur, si recolas, quam multa luxata et inintelligibilia reliquerit.

Secutus Bonaventura Vulcanius (Basileae 1577) 'ad vetustissimorum codicum fidem' se emendavisse praedicavit; sed quinam illi codices fuerint, non dignatus est dicere. Sane non negandum est hic illic vel librorum ope vel felici conjectura verba eum auctoris sanavisse, ut 187K.: p. 73, 22 *tetrachordon*; 261K.: p. 96, 7 *spiritu*; 327K.: p. 151, 3 *verbis*; sed omnia haec, ut ita dicam, superficiem tantum verborum eamque perleviter tangunt. Quicquid autem a scribis gravius peccatum erat, id intactum supererat, donec Hugo Grotius manum huic operi admovit.

Quanta beneficia vir ille illustrissimus (qui meliorem ingenii partem rebus multo potioribus reservavit) Martiano Capellae contulerit, ii tandem recte aestimabunt, qui priores editiones vel libros scriptos evolverint. Vide quot locos sine ullo dubio recte emendaverit: p. 4, 13 ἐγέρσιμον collato p. 483, 14; p. 6, 19 *cunctamento*; p. 8, 1 *Uranie*; p. 25, 23 *superi senatus*; p. 31, 6 *calymmate*; p. 36, 17 *decentes*; p. 48, 22 *Dione*; p. 50, 16 *Permessia*; p. 50, 23 *novit*; p. 53, 15 *operata*; 64, 2 *Opigenam*; p. 64, 5 *Heram*; p. 76, 18 *non nesciens*, ut priorum duorum librorum fines non excedam. Sane inter multa praeclare emendata fuere, quae in pejus mutavit, ut 9K.: p. 9, 14 *volatilem virgam ... Virtuti de more permittit*, ubi ille *demere* volebat legere contra clausulam; 803K.:

p. 422, 7 *multitudo etiam quae iussa constiterat,* ubi aeque contra clausulam *iuxta* voluit, neglecto loco parallelo (ut dicimus) 904K.: p. 479, 9 *heroum populus, qui iussus advenerat*: sed vetus verbum est, eum qui nihil perperam faciat, nihil unquam facere, unde periniquum erat in paucis erroribus inter tot tam praeclare gesta commorari. Illud quoque de Grotii opere judicantes non latere debet, properanti adulescentulo et jam fortasse ad maiora nitenti non id propositum fuisse, ut auctorem quantum posset limatissimum in orbem emitteret, sed ut apertiora menda divinando tolleret; unde factum est, ut unum tantum codicem ad vulgatam lectionem emendandam adhiberet, praeterea ingenii sui viribus uteretur.

Annis circiter ducentis, qui post Grotianam editionem publici juris factam defluxerunt, non omnino negligebatur a viris doctis Martianus; nam et N. Heinsius et Bentleius aliqua vel correxere vel sibi visi sunt correxisse, praecipuam vero in re critica operam navavit Vonckius Specimine critico ad auctores Latinos (1745). Priores duos libros seorsim edidit L. Walthardus (Bernae 1763), qua editione, si exteriorem formam respicias, nihil possit esse nitidius. Sed illud tantum sibi proposuit editor, ut Grotianum verborum contextum repeteret, adjunctis paucis quibusdam variis lectionibus, quas Bongarsius ex libro quodam Bernensi enotaverat. Itaque ad rem criticam vix pertinere videtur elegantissimus iste libellulus. Walthardum secutus eosdem illos libros edidit Joh. Adam Goez, Norimbergae 1794, commentario in scholasticum usum instructos, sed ita incuriose et indocte ut, si quis quid frugi ex illius libri lectione se reportaturum speret, amice admoneam, ne operam et oleum perdat. Scilicet non multum ex eo exspectes, qui sic de se profiteatur: "Ita versatus sum, ut primo vulgatam quidem recensionem fundamenti loco ponerem, sed lectiones a Grotio in Februis e codice suo descriptas Martianoque vindicatas pro veris haberem atque in textum reciperem..." Adde quod innumeris eisque foedissimis typothetarum mendis totum opus scatet; facile intelliges corruptiorem potius quam emendatiorem Martianum e Goezii manibus exiisse.

Post Grotianos labores illud praecipue desiderabatur, ut librorum manuscriptorum certior notitia acquireretur, quod illa aetate non facile fuit, praesertim cum per omnes Europae regiones Martiani codices reperirentur plurimi simulque pessimi. Itaque cum U.F. Koppius, vir rei diplomaticae et palaeographicae peritus, Martianum amplissimo apparatu tam critico quam exegetico instruendum

sibi proposuisset, erat quod sperarent homines accuratiorem codicum notitiam se adepturos esse. Sed frustra; nam de re critica tantillum ille intelligebat, quantum qui minimum, ut saepius mihi, dum ejus annotationes lego, venerit in mentem illius, quod Hannibal de Phormione Peripatetico dixisse fertur: multos se deliros senes saepe vidisse, sed qui magis quam ille deliraret, vidisse neminem. Nam hanc fere rationem secutus est, ut vulgatam lectionem, quantum fieri posset, ubique retineret; sin a vulgata discedere cogeretur, cuiusvis libri manuscripti lectionem potius arriperet, quam conjectura locum sanari sineret. Ut unum exemplum apponam, locum jam supra laudatum (6K.: p. 6, 18) Koppius sic interpretatur:

> "Itaque pro industria et dignitate quam conveniret accipere, cuncta merito longae deliberationis alternat.
> industria] Grotius habebat 'industriae dignitate': ad quae Vonckius (p. 79): "lege: pro inlustri ea dignitate. Dignitas notat corporis staturam et formae pulchritudinem (Nepos in Eumene c. XI)." Haec ille: sed cessat conjectura, siquidem e codice Dresdensi veram restituimus lectionem.
> cuncta merito] Perquam eleganter Grotius *cunctamento* conjiciebat. GOEZ. — Sed finxit Grotius istam vocem, quae Latinis auribus inaudita est. Quare satius duco Martiani verba retinere, quae sic intelligo: "Mercurius *cuncta*, quae sint longae deliberationis, *merito* ponderat examinatque."

Ex hac interpretatione nemo non agnoscet toto caelo, ut ajunt, Koppium ab omni sana rei criticae ratione aberravisse; ut vix oporteat alia dementiae specimina proferre, ut 662K. ("Hister fluvius ortus in Germania de cacumine montis ad novem sexaginta amnes absumens etiam Danuvius vocitatur."):

> "ad novem] Procul dubio legendum *Abnobae* ex emendatione Salmasii (ad Solin. p. 186), sed codicum auctoritatem requiro,"

id est, "Credo Martianum scripsisse *Abnobae*, sed cum libri *Abnobae* non habeant, non credo Martianum scripsisse *Abnobae*."

Satis miram Koppii quasi fidei confessionem habes 25K.: p. 18, 15, ubi pro *sectus*, quod nullum sensum habet, Vonckius *sensus* reponere voluerat, Koppius vero *pectus* legi posse admonuit.

> "Sed ista nonnisi eo consilio protuli, ut ostenderem, quam perversus iste interpretandi per conjecturas modus sit, quarum

> aliae aliis semper meliores, certae nullae sint; quarum si quam in textum receperis, eam deleas necesse erit, sicubi codex forte repertus fuerit, cujus lectio defendi possit."

Hunc locum facile credas summo viro Madvigio ante oculos fuisse, cum ita scriberet (*Advers.*, Hauniae 1871, t. 1, p. 9): "Quid in re dubia codex iuvaret nisi fide dignus et qui ceterorum consensum vinceret? Infinitae sunt in codicibus recentioribus coniecturae, bonae non paucae in parvis, ut dixi, et apertis erroribus, pravae plures." Sane inhumanus esse nolo, sed quis risum tenere potest, cum videat Koppium, 'codicum auctoritatem' alibi semper flagitantem, ad locum 467K.: p. 232, 9, lectionem *soluto ordine* pertinaciter defendentem? Quippe nesciebat omnes libros habere *solito ordine*, quam Grotianam conjecturam putabat, contra *soluto ordine* ex mero operarum errore in editione principe ortum esse. Mirum quo ducere possit praejudicata opinio hominem neque indoctum neque communi sensu carentem; poterat enim Koppius ipse acute et sagaciter ex conjectura emendare, ut 651K.: p. 321, 4 *Aetolique* pro *et oblique*. Illud vero maxime praedicandum in ea editione, quod ad verba et sensum auctoris illustrandum plurima ex plurimis scriptoribus congessit, nullis lexicis, sed suae lectionis messibus fretus; unde qui velit Martiani verba intricata et artificialia intelligere, persaepe eum oporteat ad Koppii commentarium recurrere.

Itaque id, quod prius ad Martianum edendum flagitabatur, ut accuratius exquireretur verborum memoria, adhuc desiderabant viri docti; adhuc restabat, ut libri manuscripti quasi ponderarentur, adhiberenturque non οἱ τυχόντες, sed antiquissimi et fidelissimi. Nam sicut ne validissimus quidem palaestrites satis bene luctari potest in lubrico stans, sic ne acutissimi quidem critici multum proficient, si a vulgatis lectionibus incipiant, quarum magna pars nulla codicum auctoritate nitatur. Ut paucis verbis rem absolvam, Lachmannum suum exspectabat Martianus.

Triginta fere annis post Koppianam editionem elapsis, Franciscus Eyssenhardt Martianum Capellam critico apparatu instruendum curavit; quem virum si quis insigni laude ornare velit, a ceterorum judicio mirum in modum se dissentire perspiciat. Quippe in eum ita acriter invecti sunt homines docti, ut omnium, qui Martianum ediderint, unus ineptissimus fuisse videatur. Sic Juergensenius in disputatione de libro tertio (*Comm. Philol. Lips.* 1874, p. 59) acerrime in eum invectus, "Martiani verba," inquit, "a Koppio

recognita paucis locis exceptis non modo emendatiora non effecit, sed saepius ea reddidit, ut frustra quaeras quo modo rem intelligi voluerit;" et Morellius (Quaest. de Mart. Cap. apud Stud. Ital. Philologiae Classicae 17, 1909, p. 231), postquam optime de Martiano Koppium meruisse dixit, addidit, "Sed Fr. Eyssenhardt, qui post eum Lipsiae a. 1866 opus Capellae edendum curavit, videtur suscepto muneri impar fuisse." Videamus jam igitur, quo jure tam acerbe vituperetur Eyssenhardtius.

Primo quidem, ut jam vidimus, quid esset in manuscriptis Koppius penitus nesciebat, quippe qui tum tantum eos inspiceret, cum vulgatam lectionem mendosam esse fateri cogeretur. Contra Eyssenhardtius ita verborum contextum formavit, ut a librorum manuscriptorum testimonio exordium faceret. Inde evenit, ut in editione Eyssenhardtiana scire possis, utrum lectio quaelibet testimonio codicum ab eo adhibitorum nitatur necne; apud Koppium divinari aliquoties possis, scire non possis. In prioribus decem capitulis primi libri (id est in parte centesima totius operis) haec reperio, ubi Eyss. et Kopp. dissentiunt:

2K.: p. 4, 17Dick. *scrutator* Eyss., et sic omnes quos Dickius contulit; *perscrutator* Koppius ex margine nesciocujus Norimbergensis libri — nam qui vulgatam lectionem contra acutissimas virorum doctorum conjecturas pertinacissime defendebat, is omnium codicum consensum prae unius ignoti glossatoris vel errore vel mendacio libenter contemnebat.

3K.: p. 5, 1 *procreationes* Eyss., qui notat '*procreationis* BR^1'; *procreationesque* Kopp. ex Bondami variis lectionibus, qui *procreationis* 'Grotium edidisse' tantum notat.

5K.: p. 6, 6 *concitusque* Eyss. et sic omnes Dickiani libri; *concitatusque* Koppius e codice Vossiano (quemnam velit dicere, nescio) et Hugiano infimae notae, necnon margine Norimbergensis.

5K.: p. 6, 9 *peragratione Zodiactea* libri omnes, Eyss., Dick.; *peragratione Zodiaca* Koppius (quod vix credas) e conjectura, cum multo meliorem Grotii conjecturam *Zodiaci eam* sprevisset.

6K.: p. 7, 6 *Pronoeae* Eyss. recte, ut opinor; *Pronoees* Kopp., ex cujus annotatione id tantum discas, et *pronoees* et *pronoeae* in libris inveniri, qui vero hoc habeant, quique illud, frustra quaesiveris.

7K.: p. 8, 4 *largita* Eyss. cum RB et omnibus fere Dickianis; *largita est* Koppius, nulla lectionis varietate laudata.

7K.: p. 8, 14 *illecebra* Eyss. cum RB et omnibus fere Dickianis; *illecebris* Koppius, hic quoque nulla varietate lectionis notata.

7K.: p. 8, 17 *eam* Eyss. cum RB et omnibus a Dickio collatis; *etiam* Koppius, adjecta hac annotatione: "Ante omnia hoc erat restituendum pro Grotiano *eam*, quod typographorum mendo adscribo comparatis libris prius editis."

8K.: p. 9, 3 *deliberatae* Eyss. ex RB, quod et in omnibus a Dickio collatis reperitur praeter A^1L^1, qui habent *liberatae; de libertate* Kopp. ex Hugiano, deinde *deliberatae* 'Grotianam lectionem' vocat, quasi nulla librorum auctoritate suffultam.

8K.: p. 9, 5 *paritate* Eyss. ex B (ita et βAΛL), *parilitate* Koppius, quam lectionem librorum RMODγ testimonio nitentem meliorem olim judicavi. Sed judicio non opus erat Koppio nostro, qui nullam lectionis varietatem in hoc loco novisset.

10K.: p. 10, 6 *dedignatur* Eyss. cum RB et omnibus a Dickio collatis; *dedignabatur* Koppius ex 'uno Britannico'.

Longius progrediendum non est: satis jam agnoscimus Eyssenhardtium ratione et consilio agere, Koppium omnia perverse et senili impatientia. Ubi thesaurus tuus, ibi et cor tuum: qui Koppium in re critica laudat, satis ostendit qualis ipse sit criticus futurus, si Latinum auctorem edendum forte suscipiat.

Et haec quidem in Eyssenhardtio laudanda essent, si duo ex vulgaribus tantum libros contulisset; quanto magis, cum ex omnibus Martiani libros duo praestantissimos elegisset? Et praestantissimos esse Reichenauensem et Bambergensem fusius ostendam in eis, quae mox sequentur; nunc satis erit paucas quasdam lectiones commemorari ab Eyssenhardtio primum in lucem ex his codicibus extractas. 643K.: p. 315, 12 *Prote, Mese vel Pomponiana* (quod quidem clarissimus Wesselingius ingenio duce suspicatus erat); 660K.: 327, 11 *Sporades*, cum illud, quod in vulgaribus libris inveniebatur, *Strophades* quasi insigne stuporis indicium ipsi Martiano passim objectum esset; 778K.: p. 404, 4 *se ipse multiplicarit* pro vulgata *se ipsum multiplicarit*. Fuere quoque, quae in textum recipere ille noluit, sed quae in apparatu latentia aliis ansam dederunt, qua sententiam et pristinam loci formam

apprehendere possent, ut corruptissimo quarti libri loco 402K., vel 749K.: p. 380, 7 *crescendi* pro *crescendo*.

Itaque duobus his nominibus Eyssenhardtius videtur laudem meruisse, et quod a librorum testimonio exordiendum decrevit, et quod ex omni manuscriptorum turba duo praestantissimos elegit. Verum fuere in ea editione vitia quaedam non tacenda: primum quidem, quod duabus lectionibus propositis, saepiuscule pejorem elegit; deinde, quod multo gravius aestimandum, quod non satis accurate codicum lectionem enotavit. Quod quidem ad Bambergensem attinet, non multum ab eo in hac re titubatum est; verum in Reichenauensi examinando multa praeclara omisit. Sic praeter ea, quae notat Dickius in praef. p. VIII, haec invenio praetermissa: 36K.: p. 22, 22 ipsumque] *ipsum* RB^1; 172K.: p. 71, 8 deo nuptam] *denuptam* R^1; 331K.: p. 153, 14 *farmacopulam* R^1; 337K.: p. 155, 12 *nam* om. R^1B^1; 337K.: p. 155, 16 *quis dubitat* om. R^1B^1, et multa alia, inter quae nonnulla vel maximi momenti. Sane demiror Eyssenhardtium toties peccavisse in codicum lectionibus referendis, quem in Macrobio edendo cognoveram accuratissime de Parisini Bambergensisque lectionibus referre.

Anno post Eyssenhardtii editionem quinto Fredericus Julius Petersen dissertationem academicam De Martiano Capella emendando Helsingforsiae publici juris fecit, quo opusculo nihil limatius, nihil acutius, nihil rectae rationis plenius unquam me legere memini. Dicam aperte quid sentiam: ex omnibus, qui maximi inter criticos habiti sunt, nullum fuisse, quin velle deberet suas esse, quas emendationes Petersenius ibi protulit. Nam mira quadam sagacitate sinceras lectiones ab interpolatis dijudicans, primus perspexit priorum manuum lectiones in RB maximi faciendas esse, contra neglegendas, quas correctrices manus emendandi studio intulissent. Distinxit enim in eis libris duo emendationum genera: primum eorum, in quibus vel B^2 cum R^1 vel R^2 cum B^1 consentiret, quas ex communi RB fonte petitas aestimabat; alterum genus earum, quae et ab R^1 et a B^2 dissentirent. Et de hoc genere ipsius verba audiamus: "Quicquid in alterutro codice ab emendatore scriptum alterius codicis primae scripturae testimonio non confirmatur, id omni re diligenter considerata tale esse repperi, ut aut ab hominibus linguae Latinae mediocriter peritis et rerum, de quibus Capella disputat, non omnino ignaris inveniri potuerit, aut pravitas ejus haud difficulter coarguatur. Itaque sine ulla dubitatione sic statuo, emendatores illos integrioribus exemplaribus usos non esse, quam

sunt praestantissima eorum, quibus hodie quoque uti possumus." Quam sententiam ut probaret, recensuit vir acutissimus permultos Martiani locos, in quibus, cum Eyssenhardtius B^2 lectionem amplexus esset, probior et omnimodo melior lectio ex R^1B^1 alterutrove eorum petenda esset.

Unum e multis affero exemplum, quo Petersenii rationem criticam ostendam. 653-654K.: p. 322, 16-323, 5 vulgo sic legebatur: *Nec Athenis cedunt Boeotiae, in quis Epicrene, Arethusa, Hippocrene, Aganippe, Gargaphie. post oppida montes populique quam plures. sequitur Aemonia, cuius a tergo mons Oeta.* Pet. notat: "B^1R *populusque.* Unde verisimile fit, primo sic scriptum fuisse: *post oppida montes populosque quamplures sequitur Aemonia.* Similiter 221, 4: *post aliquot gentes etiam Aetolia.*" [Error hic fuit operarum: debuit esse *Actium colonia,* non *Aetolia.*] Nihil hac emendatione perfectius. Orditur enim Petersenius a difficiliore lectione, probiorem recte judicans; ita rectam lectionem e conjectura reducit, ut simul videre possis, unde falsae lectiones ortae sint. Et hac ratione locos plus septuaginta ad sanitatem reduxit, praeter centum fere alios, quos conjectura fretus recte restituit. Ne nimium me putaveris, lector, qui virum non omnium notissimum tantis laudibus ornaverim; dicendum est quippe ex animi sententia, in Martiano emendando si quis Petersenio proximus accedat, magno proximum intervallo eum accedere.

Sexagesimo demum anno Eyssenhardtium secutus est Adolfus Dick, vir diligentissimus, cujus laboribus per quadraginta annos protractis immensum quantum debent omnes Martiani lectores. Nam Eyssenhardtius duos tantum libros adhibuerat (Darmstattensis enim testimonio ibi tantum usus erat, ubi deficiebat Reichenauensis putredine nescioqua corruptus); Dickius per totum opus septem adhibuit, alios sex ad singulos tantum libros contulit, quodque non minoris momenti est, omnes multo accuratius quam Eyss. examinavit. Praeterea virorum doctorum in M.C. observationibus diligentissime usus erat; Petersenii emendationes fere omnes vel in textum recepit vel in apparatu laudavit, locis parallelis a Koppio congestis eos addidit, quos Morellius et Juergensenius detexerant; priores editiones magna cura evolverat. Itaque factum est, ut editio Dickiana omnes priores facile superaret. Sed inter haec praeclare gesta non defuere vitia quaedam, quibus impediebatur vir doctissimus, quominus Martianum omnino emaculatum ederet.

Illud enim maxime in ea editione deflendum est, quod libros

manuscriptos ad verba auctoris constituenda non satis recto judicio elegerit; in qua re miror eum non ex Petersenii opere didicisse, quanta esset praestantia librorum BR. Et de hac quaestione fusius hoc loco disserere nolo, nam in eis, quae mox sequentur, latissime interpolatores grassatos esse satis superque ostendam; illud tantum affirmaverim, nihil aeque obfuisse Dickio Martianum emendanti, quam quod libris β (Bernensi 56b) et A (Leidensi B.P.L. 36) nimium fidei habuit. Equidem, quoties invenio βA in speciosa aliqua lectione congruere, ceteris dissidentibus, toties mendacium subesse suspicor. Itaque evenit, quod doleo, ut editio tot annorum curis parata minus in auctore emaculando efficeret, quam sperare par fuit.

Post Dickii labores annus jam labitur quadragesimus sextus; quo temporis intervallo non subterfugit Martianus virorum doctorum sedulitatem. Commentarios Johannis Scotti et Remigii in lucem protulit Philologiae alumna Cora Lutz, unde cognoscere possumus, quales fuerint ejus aetatis grammatici in verbis Martiani vel emendandis vel interpretandis; difficillimum primi libri capitulum, quod est de sedecim caeli regionibus, post Thulinum aggressus est vir subtilissimae doctrinae Stephanus Weinstock; verum omnium maximum beneficium Martiani studiosis contulit Claudius Leonardi, inspectis et enumeratis 241 libris manuscriptis Martiani opus vel saltem partes ejus continentibus. Multo igitur instructiores ad verba Martiani emendanda nos accingere possumus, non ea quidem spe, ut semper et ubique, quod auctor ipse scripserit, restituere possimus — id quod in verborum memoria prope ab incunabulis vehementer corrupta non licet — sed certe illud nobis propositum habentes, ut magnam partem sordium, quibus a mediae aetatis magistellis conspersus est, pro virili parte abstergeamus. Itaque ea erit hujus disputationis ratio, ut primo quidem ostendam eas lectiones, quas primae manus in Reichenauensi Bambergensique libris praebeant, fide dignissimas esse, contra aliorum librorum saepissime fidem esse suspectam; deinde ex Reich. et Bamb. vestigiis complures locos coner resanare, quos apud Dickium non recte legi opiner; quam materiem sequetur alterum locorum corruptorum spicilegium, quos divinando sanare oporteat, cum in libris nullam opem inveniamus. Id quoque cum confecero, illud mihi disputandum proposui, utrum Reichenauensis et Bambergensis ex ipso archetypo descripti esse possint.

Sed antequam de rebus his satis spinosis disputare incipiamus,

illud praefandum opinor, me eisdem siglis usum esse, quibus Dickius in editione illa jam laudata:

β est Bernensis 56b, libros I-IX continens, saeculi noni vel decimi, de quo vide Leonardium (apud *Aevum* 34, 1960) p. 11.

A est Leidensis 36, libros I-IX continens, quem Dickius decimo, Leonardius (p. 61) nono saeculo assignat.

Λ est Leidensis 88 item Bibliothecae publicae, libros I-IX continens, quem Dickius undecimo ineunti, Leonardius (p. 63) nono saeculo assignat.

L est Leidensis Bibl. Publ. 87, omnes novem libros continens, quem Dickius undecimo, Leonardius (p. 62) nono assignat.

M est Monacensis 14729, item omnes libros continens, quem Dickius duodecimo saeculo, Leonardius (p. 96) nono vel decimo exaratum putat.

O est Basileensis F. v. 17 (quem Leonardius p. 8 'F.V. 7' dicit, haud scio an recte), libros I-II continens, saeculi undecimi.

γ est Bernensis 331, quem Dickius ad priores duos libros contulit, de cujus aetate videndus Leonardius p. 13.

D est Monacensis 4559, quem item ad libros I-II adhibuit Dickius. De hoc libro saeculi undecimi vide Leonardium p. 90.

S est Monacensis 22292, saeculi duodecimi, ex quo nonnullas lectiones in libro quarto citat Dickius (v. Leonard. p. 99).

F est Monacensis 14401, saec. X-XI, quem item ad librum quartum recensendum adhibuit Dickius. De eo Leonardius p. 94.

C est Monacensis 14070, quem in libris VI et VII adhibuit Dickius; et is quidem saeculo undecimo tribuit, Leonardius vero (p. 92) nono.

Et his quidem in transcursu notatis, ad illam operis partem nos accingamus, ubi de Reichenauensis Bambergensisque praestantia disputaturi eramus; in qua materia tractanda ordiendum ab eis locis, ubi lectionem sine dubio veram in solis RB alterutrove eorum servatam Dickius recte amplexus est. Et in ipso rerum

limine non ab re fueritde ipsis codicibus pauca libare. Bambergensis nomine significo cod. Bamberg, Staatliche Bibliothek, Class. 39 (M.V. 16 apud Jaeckii catalogum), de quo accurate disputat vir jam laudatus Claudius Leonardius in actis eis, quae *Aevum* titulum habent, vol. 34, an. 1960, p. 6. Saeculo decimo conscriptum fuisse putabat Dickius, Leonardius autem, Bischoffium secutus, nono exeunti potius tribuit. In ejus lectionibus enotandis B siglo usus sum, ut et Dickius, sed in correcturis primariam scripturam siglo B^1, eam lectionem, quam corrector induxerit, siglo B^2 notavi, pro quibus Dickius maluit B′ et b ponere. Reichenauensis nomine volo dicere codicem Caroliruhensem, Badische Landesbibliothek, Reichenau LXXIII, de quo videndus idem Leonardius p. 56. Hunc librum Dickius item decimo, Leonardius nono saeculo tribuit. In Reichenauensi illud valde deflendum, quod superior pars (id est tertia vel quarta pars) uniuscujusque paginae omnino pessumdata est. Quae causa hanc perniciem intulerit, nescitur: de carie vel putredine loquuntur Eyssenhardtius, Dickius, Leonardius et vir egregius Alfredus Holder in opere *Die Reichenauer Handschriften*; sed vir doctissimus et humanissimus Dr. J. Stamm, bibliothecae Badensis assessor, incendio id infortunium accidisse potius opinatur. Non omnino accurate ejus lectiones ab Eyssenhardtio enotatas esse jam dixi; sed in eo laudandus Eyss., quod uncis angularibus eos locos inclusit, qui in Reichenauensi deperiissent, Sane vellem Dickius idem fecisset; nam maximi saepe momenti est scire, consentiatne R cum B necne, quod in Dickiano apparatu invenire non possis. Illud quoque admonitum te velim, benignissime lector, siglo V in notis meis significari codicem Leidensem Vossianum Latinum F. 48, de quo inferius disputabo. Sed jam ipsos Martiani locos inspiciamus.

93K.: p. 40, 17 Iungantur paribus, nam decet, auspicis.] Ablativi formam correptam *auspicis* servant R^1B^1, cum in ceteris forma usitatior *auspiciis* inducta sit.

432K.: p. 213, 19 Isocraten] Sic R^1B^1, *socraten* ceteri, cum Demosthenis ille aemulus monachis vix aut ne vix quidem notus esset; cf. Macr. *Sat.* 7. 1, 4, ubi Parisinus pro *Isocrates* habet *Socrates*.

487K.: p. 241, 3 A simili per se, ut 'ut Helena Troianis, sic civibus belli semen tu fuisti'.] In solo Reichenauensi bis scribitur *ut*; ceteri habent *a simili per se ut helena* etc.

523K.: p. 260, 1 Διαπόρησις est addubitatio ...] Sic solus Bambergensis, isque prima manu tantum, cum ceteri *dubitatio*, vocem multo vulgariorem, habeant (Reichenauensis testimonio hoc loco caremus). Aquila Romanus, cui totum hunc locum debet Martianus, *addubitatio* habet, unde nemo non agnoscet veram archetypi lectionem in B^1 servari.

525K.: p. 261, 6 Μετάστασις est transmotio quaedam ...] Sic RB^1 et Aquila; in ceteris invenimus *metathesis* (*metasis* V) *est transmutatio quaedam.*

555K.: p. 276, 5 Propositiones aut nudae sunt aut ratione subiecta.] Sic habent RB^1, quam lectionem et sensum et clausula defendunt; *ratione subiectae* vel *rationi subiectae* ceteri, cum non propositio rationi, sed ratio propositioni subjici debeat.

660K.: p. 327, 11 Item Sporades, quarum Naxos Homeri sepulchro memoranda.] *sporades* RB^1, *strophades* ceteri. De hoc loco Frid. Luedecke, *De Marciani Capellae libro sexto*, Gottingae 1862, sic.: "... deinde ut illud *Strophades* pro *Sporades* dictum taceam — ambigi enim potest librariosne an ipsum auctorem ejus vitii arguamus — eo Marcianus peccavit, quod Naxum insulam, quam inter Cycladas referendam esse constat, Strophadibus vel ut rectius dicam Sporadibus adscribit." Sane ignoscendum fuit Luedeckio, viro alioquin et docto et acuto, si codicum lectionem ignoravit, quam ipsi editores tacuissent; nam primus Eyssenhardtius, ut vidimus, quattuor post annis (1866) Reichenauensis Bambergensisque lectiones in lucem protraxit, quarum majorem numerum Koppius leviter suspenso poplite transierat. Plinius (4, 68sq.) sic: "Et hactenus quidem Cycladas servant, ceteras quae sequuntur Sporadas. ... Ios a Naxo XVIIIm., Homeri sepulcro veneranda," unde nemo cordatus dubitare potest, quin Martianus hoc loco *Sporades* posuerit.

749K.: p. 380, 7 Qui numeri quamvis idem sunt, rationes tamen increscendi diversas recipiunt.] Sic RB^1 optime; pro *increscendi* ceteri habent *in crescendo*, cum nefas putarent boni illi monachi praepositionem *in* cum genitivo construere. Martianum increscendi verbo saepius uti, ut 381, 12 et 392, 17 et 398, 14 recte notavit Petersenius p. 14.

778K.: p. 404, 3 Si duo numeri inter se incompositi sunt et

alter ex his se ipse multiplicarit...] Sic RB[1] optima Latinitate; *se ipsum multiplicarit* ceteri, imperite emendantes.

810K.: p. 428, 20 Astraean Theminque] Sic Dickius, Reichenauensis vestigia secutus, ubi prima manu scriptum est *astreanteminque*. De prioris manus lectione in Bambergensi non liquet, siquidem corrector illius libri foedissimis rasuris rem agebat, ut notat Dickius p. IX, qui tamen suspicatur illic quoque *astreanteminque* fuisse. In ceteris legitur *astreantemque* vel *astreatemque*, unde Koppius et Eyss. e conjectura proposuere *Astraeamque*.

815K.: p. 431, 14 sphaera aenea] *sferaenea* R[1]B[1] satis recte, si orthographiae merovingicae rationem habere velis; *ferenea* ceteri.

815K.: p. 431, 15 *cricote* R[1]B[1], *circote* ceteri. κρικωτή est Graecis, quod nos sphaeram armillariam dicimus.

823K.: p. 433, 23 qui quidem (sc. coluri) alium ab ortu circulum decusantes in quattuor quadras mundi ambitum discreverunt.] Hoc loco *decusantes* habent R[1]B[1], *decursantes* ceteri.

893K.: p. 473, 4 Verum transactae virgines eruditionis cascae praestitere miracula, hae familiaritatis vestrae praeferunt documenta.] *cascae* R[1]B[1], quod epitheton cum Gelliis et Frontonibus notius esset, quam Johannibus et Remigiis, in ceteris invenimus vel *causa* vel *causae* vel *castae*.

Et haec quidem hactenus, in quibus neminem effugiet, pravas illas lectiones, quas in omnibus praeter RB notavimus, non tam ex incuria, quam ex mala sedulitate ortas esse, praesertim cum videamus turpissimum quemque errorem commentatorum illius aevi testimonio esse comprobatum, ut p. 428, 20 Remigius: "Astreatem vel astra videntem vel Astraei filiam appellat." Quod si optimae lectiones hoc modo corrumpebantur, facile credideris vel pessime cum iis lectionibus actum esse, quae jam in ipso archetypo aliquatenus corruptae essent. Itaque locos aliquot inspiciamus, ubi veram lectionem ex vestigiis in RB servatis restituit Dickius vel suo Marte vel aliis viam monstrantibus, cum in libris recentioribus nihil nisi futtiles monachorum conjecturas reperias.

107K.: p. 44, 21 An aliud illa senis deieratio, qui μὰ τὴν τετράδα non tacuit, confitetur nisi perfectae rationis numerum?] Id est, ut paullo latinius loquamur, quaternarium numerum sacrum

esse testatur Pythagorae dejeratio, qui per tetradem jurare solitus fuit. Sed vide, quid habeant codices. *deieratio*, quod unice verum est, habent L[1]RB[1] et manus correctrix in A; in ceteros libros irrepsit pravissima lectio *dei ratio*, quod ex delirio glossatorum ortum est, '*senis dei* id est phitagore' interpretantium. Item μὰ τὴν τετράδα totidem litteris nullus codex habet, sed B[2] habet *matentetriaden*, R aliquanto corruptius *manentetradan*, quibus nunc accedit optimi Vossiani testimonium *maten tetradan* exhibentis; ceteri *mathen tetraden*, quod aeque monachaliter interpretatus erat Johannes ille Scottus 'id est doctrinam quaternariam', unde Pythagoram quadrivii inventorem mirabatur totum illud aevum.

331K.: p. 153, 12 Haec aut ex harenis Libyae anhelantis adducitur. ... aut fidendum pharmacopolam esse Marsicae nationis.] Sic emendavit vir summus Claudius Salmasius; *farmacopulam* R[2], *forma copulam* ceteri. Remigius: "*Aut fidendum forma*, id est per formam, *copulam*, id est cognatam, *esse Marsicae nationis*."

398K.: p. 191, 24 Haec autem quinque sunt iam superius demonstrata: genus, differentia, accidens, definitio et proprium. ergo definitio et proprium faciunt illa proloquia recurrere, alia tria nullo modo.] Sic Dickius bene. Verba *ergo definitio et proprium* omittunt RB et Vossianus; pro eis A habet *ergo differentia et proprium*, AR[m]MS habent *ex his duo sunt quae*, LF habent *ex his duo*, β habet *duo ex his*. Satis apparet ea in archetypo defuisse, in omnibus praeter RBV ex conjectura diversis modis suppleta esse.

425K.: p. 211, 4 Deliacos poscens arcus] In marginibus librorum AB reperitur haec lectio, quae sine dubio e divinatione orta est. *della composcens* R[1]B[1], *della compescens* Voss., *dellaque composcens* vel *bellaque composcens* ceteri, cum metrum aperte claudicaret. "Composcens Bdella, id est Abdella; ipsa est Bellona dea bellorum," inquit Remigius, vix ipsi Aesculapio sanabilis.

529K.: p. 263, 3 Optima igitur oratio fiet, si nunc ex ambitu periodico ... aptetur, nonnunquam caesis interrupta fuerit.] *nonnunquam* ex Aquila Romano restituit Ruhnkenius; *nonnullam* R[1]B[1] sine sensu; pro qua scilicet archetypi lectione ceteri habent *nonnulla* vel *nonnullis*, syntaxin aliquam requirentes.

540K.: p. 270, 10 Scientia quomodo ea (scil. voce) utaris assequitur.] *ea utaris* ex Fortunatiano restituitur; RB habent *cautaris* una litterula immutata, *cauta res* vel *caute res* ceteri.

603K.: p. 298, 9 Nam utique terra duas sibi partes hemicycliorum quadam diversitate dispescit.] *dispescit* eleganter Grotius; *dispexit* (id est opinor *dispecsit*) R^1B^1, *despicit* maxima pars librorum. Remigius: "Despicit, id est valde aspicit."

635K.: p. 310, 16 Cuius (scil. Rhodani) ora diversis nominibus appellata; nam Hispaniense unum, alterum Metapinum, tertium, quo plenior meat, Massilioticum nuncupatur.] *Metapinum* ex Plinio restituerunt editores; pro *alterum Metapinum* R^1B^1 habent *alterum etapinum*, ceteri scelesto mendacio *alterum Alpinum*.

643K.: 315, 11 Tres Stoechades, quarum haec sunt nomina singularum: Prote, Mese, quae et Pomponiana, tertia Hypaea.] Sic Dickius, Eyssenhardtii vestigia premens, qui *Prote, Mese vel Pomponiana* posuit, cum priores editores *prima Themista, secunda Pomponiana* exhibuissent. Major pars codicum locum sic habent: *primatemestosecundapomponiana;* Bambergensis habet *protemes* (dein rasura quattuor litterarum) *pomponiana*; in Reichenauensi litterae ita evanuerunt, ut legi nequeant, verum in margine additur *secunda,* ut id saltem scias, *secunda* a prima manu non positum fuisse. Apud Plinium (3, 79) sic invenimus: "Prote, Mese, quae et Pomponiana vocatur..."

653K.: p. 322,14 muro] *myro* R^1, *muto* ni fallor Voss., *myrro* B^1, *myrto* βAB^2, *myrtoo* ΛL, *myrtoo mare* M. De loco hoc miserrime corrupto infra agam fusius.

654K.: p. 323, 3 Post oppida, montes populosque quamplures sequitur Haemonia...] Sic Petersenius egregie, cum vulgo ante legeretur *post oppida montes populique quamplures. Sequitur Haemonia...* Libri RBV habent *populusque,* quod, ut caret sensu, ita a vera lectione quam minimum discedit. Litteras *u* et *o* propter soni similitudinem saepe confusas reperies, ut supra p. 153, 14 *farmacopulam* pro *farmacopolam* et infra p. 426, 13 *involvur* pro *involvor;* vel, si plura requiras, p. 4, 12 quorsum] quursum R^1; 4, 18 satura] satora R^1; 22, 17 succensus] suscensos R^1B^1; 33, 14 totus] totos R^1B^1; 37, 7 demorator] demoratur R^1; 81, 12 mythos] mutus R^1; 85, 8 didascalos] didascalus R^1, et alia plurima. Vulgatam

lectionem *populique* ex librariorum conjectura ortam esse nemo dubitabit.

661K.: p. 327, 16 Quartus vero e magnis Europae sinus ab Hellesponto incipiens...] Sic Dickius e Plin. 4, 75, quem ad verbum exscripsit Martianus. Omnes codices praeter AR habent *quartus vero magnus Europae sinus;* in A invenimus *quartus vero est magnus Europae sinus*, cui lectioni in libro alioquin mendacissimo quidnam momenti tribuendum sit nescio. Sed Reichenauensis prima manu habuit *quartum vero e magnus Europae sinus.*

701K.: p. 348, 20 Haec (scil. Babylonia) nunc ad solitudinem rediit exhausta vicinitate Seleuciae.] Hic quoque locus restituitur ex Plinio (6, 12) unde reducuntur ea verba *exhausta vicinitate Seleuciae.* Is, qui Martiani librum archetypon scripsit, propter litteras *ta* repetitas nonnulla omisit, posuitque *exhaustate seleuciae*, quam lectionem nunc in R^1B^1 invenimus; ceteri habent *exhaustae seleuciae.*

738K.: p. 373,5 Nam primo est corniculata, quam μηνοειδῆ Graeci vocant, deinde medilunia, quam dichotomon...] *dicotomon* R^1B^1, *diatomon* β, *diatomenoiden* fere ceteri. Cur Dickius "fort. διχότομον μηνοειδῆ" adjecerit, sane nescio, nam vulgatam lectionem ex perseveratione ortam esse nemini dubium erit.

805K.: p. 425, 2 temptat ciere cursum] *ciere* Oudendorpius, *clere* R^1B^1, *edere* vel *celere* vel *celerare* ceteri, librariis emendare gestientibus. Vir elegantissimus ipse Heinsius *citare* voluit, unde colligere licet ne maximam quidem divinandi facultatem ad verum pervenire posse, si non ex sincerissima, sed ex vulgatissima lectione proficiscatur.

809K.: p. 427, 13 Euge, inquam, Satura mea, an te poetriam fecit cholera?] Sic Petersenius, qua conjectura nihil vidi certius, nihil elegantius. Pro *mea an te* libri habent *me ante*; deinde *colera* R^1B^1, *colere* ceteri.

814K.: p. 430, 15 Quamquam auscultare physicis ... non dedigner, qui subtilium corporum teneritudinem ... in quasdam sectas vias et circulorum intercapedines non aestimant disparari, sed suis fluctibus adhaerentes naturas undiquesecus globoso ambitu orbibusque diffundi. Quarum circa medium ... aquae primum aerisque sequens, tertium ignis cyma commemorant,

et tunc ... quod κυκλοφορητικὸν κῦμα gymnasia retulerunt.] *ciclo-foreticum* RB[1], *cicloforeticus* ΛLM, *cidoforeticus* AB[2], *clidoforeticus* β; dein pro *cyma* habent *et cyma* LB[2]. Nunc vide quanti fuerint magistelli monastici in verbis Martiani corrumpendis: "Cydo et Cyma dialectici Achademici fuerunt. Foreticus a foro, tanquam rethor." Remigii verba sunt; non mentior. Reperies p. 235 editionis Lutzianae.

826K.: p. 434, 22 Hic tamen nobis ima supernaque discriminans ... horizon vel finitor vel finiens appellatur.] *nobis ima* Petersenius elegantissime; verae lectionis vestigia servat solus Bambergensis primaria scriptione — *nobisimas supernaque; novissimas supernaque* Reichenauensis Dickio teste, quod in libro alioquin fidissimo doleo et miror, *novissima supernaque* ceteri.

841K.: p. 442, 17 navis Argus puppis] Genitivum Graecum restituit Grotius; *arguus* R[1]B[1], *argonis* ceteri.

891K.: p. 472, 2 in senatu caelico] Epitheto quod est *caelicus* alibi a Martiano non adhibetur, qui ubique *caeles* vel *caelestis* praefert. Hic pro *caelico* R[1]B[1] habent *caelice*, unde Dickio prorsus astipulor *caelite* melius judicanti.

Sed cum Martiani Capellae codices non eam inter se conjunctionem et quasi affinitatem habeant, quam stemmate facile reddas, saepenumero accidit, ut in bona lectione servanda vel saltem indicanda Reich. et Bamb. comites nonnullos habeant, ceteris (vel eorum majore parte) in mendacium declinantibus. Horum quoque locorum spicilegium jam tractabimus, in quibus multa item videbit lector ex glossatorum industria in vulgares libros irrepsisse.

7K.: p. 7, 16 Tritonia etiam interula resoluta ricinio strophioque flammarum instar e cocco atque ipso sacri pectoris amiculo virginem virgo contexit.] *resoluta* A[1]RO (quod ab Eyss. neglegenter omissum recte e conjectura protulit Morellius p. 251); *resoluto* ceteri, unde Johannes Scottus novum vestimenti genus *resolutoricinium* sibi fabricavit.

14K.: p. 12, 3-4 mitis omnia] *mitis per omnia* LB[3]DM[2]V[1], quam lectionem ex nugacibus glossis provenire nemo non sentiet; cf. 6, 15 *invelatum cetera*, ubi L habet *invelatum per cetera*.

19K.: p. 15, 7 ἀκερσεκόμης] Sic LR^{1}BM^{1}V, κρισοκομης fere ceteri. Johannes ille Scottus (qui quo jure inter philosophos laudetur, non satis attendi, in re critica video esse ineptissimum) sic: "Idem χρυσοκομης id est auricomus propter radiorum crines."

172K.: p. 71, 8 ipsi deo nuptam Cyllenio] *ipsi denuptam Cyllenio* R^{1}B^{1}O, quam lectionem recte 'forte meliorem' judicavit Dickius in apparatu, in verborum contextum nimis timide veritus est accipere.

327K.: p. 151, 9 Chrysippus cumulet proprium <et> consumat acervum, Carneadesque parem vim gerat helleboro.] Vim gerere helleboro Carneades Chrysippusque dicuntur, quod totis Anticyris egerent, ut ad aliquam demum sanitatem reducerentur. Sic Lucianus in Vera Historia, si recte memini, negat Chrysippum in beatorum campos receptum πρὶν τὸ τέταρτον ἐλλεβορίσῃ. Sed opimum illud ingenium, ex quo Cydonem et Cymam procreatos vidimus, ne hic quidem bonae inventionis infecundum fuit. "Et licet Carneades gerat parem vim, id est similem sectam, et Elleboron subaudis vim gerat illi, subaudis Chrysippo. Hi duo philosophi logica specialiter usi sunt." *elleboron* reperies in AΛ^{2}L^2.

330K.: p. 153, 1 Haec se educatam dicebat Aegyptiorum rupe atque in Parmenidis exinde gymnasium atque Atticam demeasse. .] *atque in* R^1, *atquin* vel *atqui* ceteri. Audi iterum Remigium: "Haec subaudis femina dicebat se educatam in rupe Aegyptiorum, et quasi explanans in qua rupe (nam multae rupes sunt apud Aegyptum), atquin, id est certe, in rupe Parmenidis dicebat se educatam. Hic philosophus fuit et primus apud Aegyptios artem dialecticam repperit. Erat autem solitus deserere civitates et conventus publicos et in hac rupe solus residere, ut liberius posset dialecticam meditari; unde et a Parmenide rupes Parmenidis vocata est." Noli oblivisci, candide lector, per quingentorum annorum spatium lectos fuisse in scholis Remigii commentarios. Sane in hoc loco non tacenda fuit acuta Boettgeri conjectura *Aegyptiorum ope*, quam Dickius ne mentione quidem dignam videtur duxisse.

352K.: p. 154, 3 Illa autem, quae in argumentum virosae assertionis acrimoniaeque detulerat, tradere eam jubet. . .] *virosae* rectissime Dickius ex RB^{2}M^1, nam alludit Martianus ad angues eos, quibus Dialecticam cinctam dixerat; *verosae* ceteri. Remigius: "Verosae id est firmae et veridicae; vel, quod est melius, verosae id est acutae, ab eo quod est veru."

486K.: p. 240, 24 ... ut Cicero in Philippicis est quam lex.] Locus lacunosus, de quo supplendo varie cogitaverunt editores. Sicut supra exhibent $L^1R^1B^1V$; pro *est quam lex* reperimus *est quaedam actio lex* in $\beta^1AL^2\Lambda MB^2$, scribis emendare gestientibus.

519K.: p. 256, 15 ... modo paeonem primum probat incipientibus, modo finientibus quartum, modo dochmium...] Recte et eleganter locum correxit Halmius; *finientibus quarum* simplici neglegentia β^1RB^1, *finientibusque quarum* A, *finientibusque* $\Lambda^1L^1B^2$, *finientibus* $\beta^1\Lambda^1L^1$, dum corrigere incassum satagunt coenobitae.

528K.: p. 262, 13 Caesum autem est pars orationis ex duobus aut pluribus verbis nondum quicquam absolute significans.] *significans* RB^1M et Aquila, quem exscribebat Martianus; *significamus* ceteri, quae mera conjectura est, cum pro *nondum* archetypus habuisset *dum* (sic $\beta A\Lambda LBV$).

558K.: p. 278, 24 ... a simili, cuius species sunt quinque: exemplum, similitudo, fabula, imago, <exemplum> veri simile, id est quod de comoedia sumitur.] Totus hic locus e Fortunatiano et quidem ad verbum a Martiano desumptus est. Vocabulum *exemplum* e Fortunatiani verbis Dickium recte supplevisse censeo; quod cum in archetypo non legeretur, pro *quinque*, quod habent LR^1B^1V, *quattuor* scribere ausi sunt $\beta A\Lambda R^2B^2M$. Simile mendacium reperies infra ad 308, 18.

582K.: p. 289, 19 *contacta* recte $\Lambda^2R^1B^1$, *contracta* ceteri.

630K.: p. 308, 18 Habet (scil. Baetica) iuridicos conventus quattuor: Gaditanum Corduben<sem, Astigitanum, Hispalen>-sem.] Lacunam recte supplevit Dickius e Plin. 3, 7. Scilicet is, qui archetypon scripsit, duo nomina propter homoeoteleuton omisit; quod cum vel Christicolas non effugisset, foedo mendacio numerum *quattuor* vel omisere vel in *duo* mutavere, nam *quattuor* in R^1B^1M reperitur, *duo* vel *duos* in $\beta A^2\Lambda^2R^2B^2CV$, numerum omittunt $A^1\Lambda^1$.

645K.: p. 317, 7 *et Heras lutra* RBM et Plin. 3, 85, *ethras lutra* β, *etras et lutra* A, *etheras et lutra* cett.

843K.: p. 443, 11 *Argus* casu genitivo B^1L^1V, *argonis* ceteri.

853K.: p. 449, 1 ... aut mense ut Luna, aut anno ut Sol, aut triginta annis ut Saturnus, et ceteri temporibus attributis pro

spatiorum, quae circumeunt, latitudine aut brevitate.] *ceteri* L^2RB^1, *ceteris* reliqui.

864K.: p. 455, 12 διχότομος] *dicotomos* A^1R^1, *diatomos* fere ceteri.

Quam vereor, candide lector, ne jam te taedium ceperit! Sed bono animo sis, nam ad minus fastidiosa mox venturi sumus. Necessaria haec fuere, ut mente conciperes, qualis fuerit Martiani in medio quod dicunt aevo fortuna. Ad aevum Carolingicum pervenit unus codex isque mutilus et misere corruptus. Renascente tum post innumeras clades litterarum studio, plura ejus libri apographa fiebant — nam ex eis, quos vir doctissimus Leonardius enumerat, plus viginti reperio, qui et omnes novem libros contineant neque decimo saeculo juniores sint. Sed cum ad scholarum usum accommodatissimum haberetur Martiani opus, propere coeperant ejus aetatis grammatici verba intricata et corrupta pro captu suo vel explicare vel emendare vel quoquomodo intelligibilia reddere. Laudabile mehercle propositum, modo docti vel saltem honesti fuissent, qui exsequerentur! Sed videmus jam, quales fuerint Johannes Scotti et Remigii in Martiano exponendo. Non quidem omni doctrina destituti erant: poetas aliquot Latinos in manibus habuerant, Scripturas Sacrosanctas et Patrum scripta selecta satis bene noverant, sed ex scriptoribus sermonis pedestris veteribus vix unum vel alterum inspexerant. Fortunae illud vitium, non hominum fuisse dixerit quispiam, quod quis negabit? Sed aliud est nescire, aliud simulare se scire. Non equidem eum temere contempserim, qui decimo p. Chr. saeculo Tullii Philippicas nunquam legerit; sed eum, qui sic glosset, "Id est orationes quas scripsit contra Philippum," optimo jure contemnam. Item si quis nescit, quam ob rem Horatius sororem suam interfecerit, non eum statim ab honestorum numero segregaverim; eum tamen, qui discipulos suos hac doctrina pascat, "Quia illa voluit concumbere cum illo," quis non vafrum et mendacem dicat? Itaque, ne diutius in re perspicua tempus terere videar, verba auctoris jam satis superque corrupta ita ab hujusmodi glossatoribus male habita sunt, ut priscae lectionis vestigia tantum non delerentur. Nam cum toties exscriberetur Martiani opus, latissime serpebant pravae lectiones, fiebatque quasi quidam textus receptus ex pessimarum quarumque colluvie. Inspiciamus igitur nonnullos Martiani locos, si forte ex eis libris, quos sincerissimos esse cognovimus, meliores lectiones elicere possimus, quam in Dickiana excusas videmus.

6K.: p. 7, 6 Pronoees] Sic Dickius ex Bernensi illo, quem nimis magni aestimabat; *pronooaes* A, *pronoeaes* B^2, sed cum $\Lambda^2R^1B^1MOV$ *pronoeae* habeant, non dubitandum est, quin ea fuerit archetypi lectio; quam cur deserere velimus, nulla omnino causa est. Quippe apud Latinos Προνοία est Pronoea, et genitivum casum habet Pronoeae.

6K.: p. 7, 7 providum perspicacis prudentiae commendabat ingenium.] *praevidum* LR^1B^1V. Vulgatam tueri poteris, si tibi arridebit Koppiana edendi ratio; sed cum exquisitius epitheton in sincerioribus libris reperiatur, non dubito recipere.

8K.: p. 9, 4 nec facile quaepiam praeterea, quae congrua paritate Tonantis nurus deligeretur, occurrit ...] *parilitate* RMODγ, recte ut opinor, nam epitheto quod est *parilis* magnopere delectatur noster, ut 9, 13 parili celeritate; 11, 11 parili ratione; 16,20 parilem iugalem; 57, 22 vultu decoreque parili; 75, 14 parili interiectione, etc. Nemo dubitabit facilius *parilitate* in *paritate* abiturum fuisse, quam *paritate* in *parilitate.*

14K.: p. 12, 19 quorum uterque pro aliorum vicinia et confinio coloratus exiguum proprii saporis haustum multa mutabilis admixtione traxerat.] *traxere* $\Lambda R^1B^1M^1\gamma^1OV$, quam lectionem nos recipere jubet clausulae ratio. Scilicet librarii semidocti aegre ferebant *uterque* cum plurali numero conjungi.

36K.: p. 22, 20 Nam illum iampridem, ait, Philologiae sentio amore torreri, eiusque studio comparatas habere quamplures in famulitio disciplinas, ipsumque linguae insignis ornatibus fandi nimiam venustatem ... consecutum.] *ipsumque* legitur in $\beta A\Lambda^2LB^2O^2DV$, *ipsum* in $\Lambda^1RB^1MO^1$. Pauciores sed meliores libros videmus copulam *-que* omittere, quam facile additurus erat quisquis asyndeto non delectaretur; contra, si illud *-que* in archetypo erat, quaenam causa esse potuit, cur in tot libris omitteretur? Itaque, si quis *ipsumque* legere concupiscit, is archetypi lectionem respuit, conjecturam amplectitur. At conjectura non opus est, nam recte et eleganter copulam omisit Martianus, ut Ovidius in Amoribus:

> cum premet ille torum, vultu comes ipsa modesto
> ibis ut accumbas, clam mihi tange pedem.

37K.: p. 23, 18 ... orbiculata parallela vel obliqua decusata, polos et limmata axiumque vertigines cum ipsorum (puto) siderum

multitudine numerare.] Male mehercle Dickius his sordibus editionem suam inquinari passus est, cum jam Petersenius summa elegantia locum emendavisset. *polos, climata* Peters. p. 42, *polose limata* βLBγ^{2}DV una litterula mutata, *polose limmata* ΛMO, *polos et limmata* A, quamvis nihil limmatibus cum astronomia. Johannes Scottus solita socordia: "Limmata dicit duos coluros, qui duo circuli per polos ducuntur et ... non nisi dimidiam sui partem supra terram manifestant, ac per hoc et limmata, hoc est veluti quaedam hemitonia, non immerito vocitantur." Sic prave legendo pariter atque interpretando monachi sibi invicem opitulabantur, ut mulus mulum scabit.

91K.: p. 39, 7 aequum quippe puto foedere caelitum / quae sectanda forent orsa probarier.] *forent* libri fere omnes; sed *fuerant* R^{1}B^{1}, quod cum contra metrum sit, certe difficilior ideoque probior lectio est judicanda. Rectissime mea sententia Petersenius p. 10 *fuant* restituit, quali forma usus est Martianus p. 96, 26 et 151, 4, quibus locis addere velim 81, 26, ubi R^{1} habet *ferat*, alii vel *erat* vel *erit* vel *ferant*. Formam inusitatam facillime corrumpebant librarii.

108K.: p. 45, 14 qui numerus (scil. heptas) rationis superae perfectio est, sicut ἑβδομάδων illa docet plenitudo.] *illa docet* βA^{2}Λ^{2}L^{2}B^{2}M^{2}OD, *ille docet* A^{1}Λ^{1}RB^{1}MV, quam archetypi lectionem fuisse nemo candidus infitiabitur. Scripsit autem Martianus *illa edocet*; scribae ex *illaedocet* nullo negotio fecerunt *illedocet*. Neminem fugiet verbis *edocet plenitudo* optimam effici clausulam, quam adhuc desiderabamus. *edocere* verbum adhibet noster p. 4, 19; 64, 16 etc.

119K.: p. 50, 17 ... cui Magnesia poculum fluenta / et fons Gorgonei tulit caballi.] Pro *magnesia* invenimus in RB^{1} *pernesia*, in O^{1} *permegnesia*. Praeclare igitur Grotius *Permessia* restituebat; quippe librarii, cum *pernesia* non agnoscerent, variam lectionem sic notaverunt — $\overset{\textit{mag}}{\textit{pernesia}}$, cujus emendationis vestigia in O videre licet.

131K.: p. 57, 17 Quam cum virgo conspiceret, ad eam omni studio affectuque cucurrit.] Majorem partem hexametri hic habes, quod vitare poteris si cum ALBMDγ leges *concurrit*. Notandum est hoc loco R et B a se invicem dissentire; fuit autem, opinor, in archetypo *cuncurrit*, *u* pro *o* posita, cujus erroris exempla jam dedi complura.

172K.: p. 71, 3 Inter quos splendentis formae habitusque femina ac promptae ubertatis ornatibus opulenta virgini salutata usque in eius osculum confisa pervenit.] Sic Dickius, cui *virgini* idem visum est quod 'a virgine'. Sane qui viderit *virgini* in libris $\Lambda L^1 R B^1 O D^1 V$ legi, non dubitabit archetypi eam lectionem fuisse, illudque *virgine*, quod in $\beta A L^2 B^2 M D^2$ reperitur, meram conjecturam esse. Sed rem bene gessit, qui sic emendavit; nam qui loci sensum parumper considerare velit, videbit absurdum esse matronam illam prorsus ignotam a Philologia ultro salutatam esse; contra nihil rationi et rei ipsi magis consentaneum esse, quam Facundiam primo Philologiam eminus salutavisse, deinde osculum ejus comminus petivisse. Inferius ad 431K.: p. 213, 12 dicam, quam saepe in archetypo *e* et *i* confusae sint; unde veri similius opinor *virgini* mero errore pro *virgine* in archetypo positum fuisse, quam Philologiam tam praepostere egisse.

187K.: p. 73, 22 Nonne hac principio geminum tu das tetrachordum?] Sic Dickius putide. *hac* libri plurimi, sed *ac* RB^1, unde Grotius recte *a principio* maluit; nam qui cum ineptis glossatoribus 'hac subaudis ratione' interpretari velit, is magnis carduis per me licet delectetur. Videmus et in ultimo hujus versiculi verbo, quam semper emendare gestierint monachuli; nam cum in illud *tetrachordo* incidissent, quod soli R^1B^1 nunc servant, ablativum casum rati in *tetrachordum* mutaverunt; sed non dubito (id quod Vulcanio quoque in mentem venit) Martianum scripsisse *tetrachordon*, unde *tetrachordō-* in *tetrachordo* librarii facile corruperunt. Conferre possis p. 512, 19 *tetracordon* Λ, *tetracordo* RB^1, *tetracordum* βAB^2M; p. 509, 4 *enarmonio* libri omnes, quod editores inde a Meibomio in *enarmonion* emendandum esse consenserunt.

198K.: p. 76, 2 ipsius caelestis sphaerae globum] *caelitis* LRB^2. Epitheto quod est *caeles, caelitis* magnopere delectatur Capella noster; quippe invenimus *aulam caelitem* p. 29, 15; *urnam caelitem* 30, 3; *appetitum caelitem* 40 24; *senatum caelitem* 75, 13 et 150, 4 et 287, 15 etc. In promptu fuit properanti librario *caelitis* in *caelestis*, epitheton multo vulgarius, mutare; sed ecquis pro *caelestis* positurus erat *caelitis*? Itaque hoc loco cum LRB^1 *caelitis sphaerae* legendum puto; quod cum jam Peters. p. 8 ostendisset, non video quam ob rem Dickius cum deterioribus errare maluerit.

218K.: p. 79, 14 Hic Phoebus exsurgit... ac singulas ex famulitio delectuque Cyllenii incipit admovere.] *cyllenio* habent $A\Lambda LRB^1$

MODγ^{1}V, quod recte legi item Petersenius p. 8 ostendit allatis his locis: p. 19, 22 orbem complexa Cyllenium; 71, 16 praesul domus custosque Cylleniae; 153, 7 Cyllenius anguis; quibus addere potuit 291, 18 Cyllenium ornamen. Demiror Dickium et archetypi lectionem et Petersenii opinionem (quem magni facere recte solitus est) simul neglexisse.

293K.: p. 117, 12 Quaeritur autem de genetivo singulari ... necnon de dativo, quem alii in I agunt, ut cornui, genui; quidam veteres secuti ablativo similem faciunt.] Sic locum exhibit Dickius, libros βAΛL^{2}B^2 secutus; sed pro *quidam* L^{1}RB^{1}M habent *qui*. Ne hoc quidem loco ab auctoritate codicum sinceriorum discedendum est. Sic interpunge: ... *alii in i agunt, ut cornui, genui; qui veteres secuti, ablativo similem faciunt.* Conferre possis p. 29, 11 "Tunc elementorum praesules ..., qui confestim omnes Iovis imperio convocati, in aulam caelitem convibrantibus venere sideribus."

309K.: p. 134, 15 ... in communi duo sunt significatus et agentis et patientis; dicimus enim osculor te et osculor a te.] Hanc lectionem solius Leidensis 88 testimonio fultam amplexus est Dickius, cum nescioquibus Charisii Prisciani Donati locis eam confirmari putaret. Sed quid alii grammatici scripsissent, in loco difficili anxie disquirendum esset; in loco non obscuro, ubi neque sensus neque syntaxis ullas turbas dent, ejusmodi testimoniis carere aequo animo possumus. Inspice varias codicum lectiones; reperies archetypum habuisse: ... *agentis ei patientis; cum dicimus enim osculor, nescis* (vel *nescias*) *utrum osculor te an osculor a te.* Quid in ea lectione vitiosum sit, non dispicio, neque transversum unguem a tradita verborum memoria discedendum puto.

310K.: p. 135, 9 infinitivum] Hic plura congerenda sunt. Nemo nescit Cassiodorum (vel, ut accuratius dicam, Pseudocassiodorum) plura ex hoc libro sumpsisse; sed cum Garetianae editioni non multum fidei tribuendum sit, Mynorsius vero ea tantum ediderit, quae ipsi Cassiodoro, non simiae ejus, accepta referenda sint, non pro certis afferre possum, quas lectiones ex Pseudocass. citavero. Illud tantum affirmaverim, sicubi Pseudocass. cum RB lectionibus congruat, non dubitandum esse, quin major eis lectionibus auctoritas inde acquiratur. Nunc ad rem: hoc loco invenimus *infinitum* RV, *infinitivum* in ceteris; p. 137, 18 *infinito* LB^1 et Pseudocass., *infinitivo* cett.; p. 139, 16 *infinito* B^1 et Pseudo-

cass., *infinitivo* cett.; p. 141, 11 *infiniti* LRBV, *infinitivi* vel *infinitivo* cett.; p. 145, 6 *infinito* AB¹V, *infinitivo* cett. Item superius p. 88, 19 *infinitivi* M, *infiniti* cett., et 89, 7 *infinitivi* M, quibus locis Dickius recte *infiniti* amplexus est. Contra in toto hoc libro nusquam invenio (exempli gratia) *indicatum* pro *indicativum* vel *imperatum* pro *imperativum*. Pluribus verbis opus non est; omnibus his locis reponere debemus formam inusitatiorem *infinitum*.

336K.: p. 155, 8 Ac prius illud compertum volo, mihi Romanos togatamque gentem vocabulum nondum novare potuisse, ac Dialecticen, sicut Athenis sum solita, nuncupari, meique prorsum iuris esse quicquid Artes ceterae proloquuntur. Nam neque ipsam, quam aures vestrae probavere, Grammaticam, neque alteram opimi oris praecluem facultate, vel illam formarum diversa radio ac pulvere lineantem sine meis posse rationibus explicari quis dubitet?] Primo quidem insigni laude ornanda est Meursii emendatio *opimi oris praecluem* pro *opimioris irae cluen* quod exhibent librarii, explicant Remigii; deinde quaerendum, sitne totus locus, ut a Dickio constituitur, satis sanus. Particulam *nam* omittunt ALR¹B¹V; verba *quis dubitet* omittunt ALR¹B¹V. Rectissime illi quidem, nam inepta haec monachorum additamenta sunt. Constructio est (ut breviter interpreter Martiani tumorem): "Illud notum esse volo, Romanos mihi novum nomen non indidisse, meique juris esse aliarum artem materiem, neque ipsam Grammaticam neque Geometriam neque Rhetoricam sine meis rationibus explicari posse." Vix admonendum censeo, *rationibus explicari* optimam clausulam efficere, id quod in syllabis *explicari quis dubitet* frustra quaeras. Et hoc quidem loco Remigium nostrum video meliorem lectionem secutum esse, qui neque *nam* neque *quis dubitet* in libro suo invenisse videatur.

344K.: p. 157, 22 Et usque eo genus esse potest, donec eius formas dividens ad individuum aliquid pervenias.] Particulam *et* omittunt ALRBMF, et abesse potest; absit igitur. Item *pervenias* habet solus β, ceteri *venias*. Sane scriptum est infra (p. 158, 7) *quod iam ad individuum pervenit*, sed sicut *pervenias* ex mea conjectura ponere nolim, sic nolim ex ejus conjectura, qui Bernensem scripsit.

345K.: p. 158, 13 Formas easdem dicimus, quas et species.] Omittunt *et* particulam libri βALR¹B¹V, unde statuendum est

in archetypo non fuisse. Nulla ratio est, cur supplere velimus. Suspicor equidem in archetypo scriptum fuisse *quas especies*, vulgari scilicet pronuntiandi more. Sic apud Macrobium *Sat.* 1. 6, 11 invenimus *istatum* pro *statum*, unde nonnulli librariorum *is statum* finxerunt. Ejusdem scribendi et pronuntiandi morem pluribus exemplis Lachmannum in commentario Lucretiano illustrasse notius est, quam ut lectorem debeam admonere; contra non omnibus forsitan notum sit, Rhabanum Maurum in etymologiis hoc dicere: "Spes dicitur quasi *est pes*," scilicet quod sine spe quasi ambulare et progredi non possimus. Ridiculum id quidem, sed satis aperte docet illud etymon Rhabani aequales *espes* pronuntiare solitos.

348K.: p. 160, 5 Proprium est, quod et eidem formae et ita semper accidit, ut unamquamque rem ab omnium communione discriminet.] Hoc loco vocem *formae* omittunt R¹BV. Paullo superius (p. 160, 1) dixerat Capella: "Accidens est, quod nonnisi eidem formae, sed non semper evenit," unde videmus non opus fuisse *formae* hic quoque repetere.

350K.: p. 161, 13 Et hoc (scil. totum) nonnisi in individuis invenitur, ut, si hominem designemus et eius partes singula membra faciamus, intelligimus idipsum totum esse, quia certum hominem constituimus, et definitionem tamen et nomen ipsius totius non posse in partes cadere.] Particulam *tamen* omittunt AΛLB¹RV, et certe ea carere possumus. Irrepsisse puto ex eis, quae Martianus supra posuit, "Totum est, quod duabus pluribusve in se partibus positis non semper nomen, definitionem tamen nunquam accommodat." Qui paulisper rem considerare velit, videbit v. 12 *tamen* aliquem sensum habere, v. 17 nullum.

356K.: p. 164, 6 Univocum est, quando duarum aut plurium rerum unum nomen est et definitio, ut vestis. Nam et byrrhus et tunica et nomen vestis habent et definitionem possunt accipere. Ergo hoc univocum in generis serie intelligitur, quod et nomen et definitionem dat formis suis.] Quid sit istud *in generis serie*, neque ego capio neque quisquam interpretum explicavit. Totam sententiam mutuatus Isidorus Hispalensis (*Orig.* 2. 26, 5) hoc modo exprimit: "Ergo hoc univocum in generibus esse intelligitur, quia et nomen et definitionem dat formis suis." Multo hoc melius, neque dubitandum quin *in generibus esse* a Martiani manu profectum sit. Sed nondum omnia plana in hoc loco habemus. In Reichenauensi enim, quem toties jam fidelissimum agnoscimus, pro *dat* reperimus

dant, quam lectionem exhibit et Vossianus. Quid tum? Merumne errorem putemus? Non opinor, nam illud quoque accedit, apud Isidori codices, quos Lindesaius contulerit, tres libros neque eos despiciendos BCT habere idem illud *dant*. Si quaeramus, utra lectio in alteram abitura fuerit, volentes nolentes confiteri cogemur, multos quidem scribas fuisse, qui *dant* in *dat* mutare voluissent, cum viderent pluralis numeri subjectum nusquam reperiri, neminem vero, qui *dat* in *dant* emendaturus fuerit. Itaque non dubito quin *dant* fuerit archetypi lectio. Sed quae malum sunt ea, quae *nomen et definitionem dant formis suis* ? Nimirum sunt ipsa genera, ut Martianus ait 345K.: "Formae ergo sunt, quae subditae generi tenent definitionem eius et nomen." Videmus autem Martiani libros habere *quod*, Isidori libros *quia*, unde illud saltem colligendum, auctorem nostrum aliquid posuisse, quod a litteris *qu-* inciperet. Non multum igitur a litterarum ductu recedemus, si *quae* reponere audeamus. Sic nempe legendum tam apud Isidorum quam apud Martianum: *Ergo hoc univocum in generibus esse intelligitur, quae et nomen et definitionem dant formis suis.*

357K.: p. 164, 12 ensis et mucro idem significant.] *significat* AL¹R¹B¹FV. Vulgata lectio usitatior locutio est, haec exquisitior et praeferenda.

366K.: p. 170, 1 Sed si quis dixerit Clodium Ciceroni fuisse contrarium, intelligat non ipsas substantias fuisse contrarias, sed qualitates, quae in ipsis erant.] *intelligit* LR¹BV, quod ea auctoritate fultum non est cur accipere dubitemus.

375K.: p. 174, 23 Haec ita sibi respondent, ut eosdem casus in conversione custodiant. ita quoque duplum ad aliquod simplum duplum est, et simplum ad aliquod duplum simplum est; ita maior minore aliquo maior est, et minor maiore aliquo minor est.] Sic Dickius e codice F (Monacensi 14401, saec. X-XI; is, qui Bambergensem correxit, pro verbis *ita quoque* etc. posuit: *ita quoque duplum ad aliquod simplum et simplum ad aliquod duplum est; ita maior* etc.; in libris βAΛLRB¹MSV invenimus: *ita quoque duplum ad simplum est; ita maior* etc. Nemo non agnoscet primo quidem complura verba jam in archetypo omissa esse, deinde sensum eorum in libro Monacensi ex conjectura suppletum esse. Qui librarios tam acerbe increpare soleam, dicendum hoc loco opinor non pedestri ingenio eum fuisse, qui mancum locum sic expleverit. Sed poterat aliquantulo elegantius, opinor: nam si

statuamus Martianum scripsisse *ita quoque duplum ad simplum* <*aliquod duplum est, et simplum ad duplum aliquod simplum*> *est,* statim videre possimus, unde describentis error natus sit, simulque eundem verborum ordinem habemus, qui in sequentibus apparet.

377K.: p. 176, 7 Nam quo tempore homo stultus, non eodem tempore sapiens esse potest; neque, quo tempore albus est, eodem tempore niger esse potest. Quod quia evenire non posse in maiore et minore ostendimus, fateamur necesse est maius et minus non esse contraria.] *evenire non posse* βAAL²R²B²MF, *evenire posse* L¹R¹B¹SV omnino recte; cf. p. 174, 1: "siquidem res una diversis quantitatibus comparata potest eodem tempore maior et minor esse." Hoc idem docuit Peters. p. 52, quem cum Dickius sequi noluerit, non intelligo.

384K.: p. 180, 10 Nam relativum relativo ita opponitur, ut hoc ipsum, quod opponitur, eius sit, cui opponitur, aut ad id quocumque modo referatur. Nam dimidium opponitur duplo, et eiusdem dupli dimidium est; ita ergo illi opponitur, ut eius sit, cui opponitur. et parvum opponitur magno, ut eius sit ita, ut ipsum parvum ad hoc magnum, cui opponitur, parvum sit.] Ultimum hoc enuntiatum male se habere, nasum non habet qui non olfacit. Nam parvum aliquid ad magnum aliquid parvum esse dicimus — id est, parvum esse ejus comparatione, quod magnum est —, sed parvum aliquid magni alicujus parvum esse, ut v.c. servum aliquem domini alicujus servum esse dicimus, nemo unquam dixit, nisi forte magister Elleboron in glossis super dialectica Cydonis. Nunc vide, quid habeant LRB¹; nam in eis, quae jam citavimus, Dickius libros βA et id genus omne secutus est. Nempe in LRB¹ legimus: *et parvum opponitur ut eius sit magno ita ut ipsum parvum* etc., eademque leguntur in Vossiano, nisi quod *ei* ibi pro *eius* scriptum est. Jam demum videmus, qua errorum serie ad vulgatam lectionem perventum sit. Scripserat Martianus: *et parvum opponitur magno ita, ut ipsum parvum* etc. Is vero, qui archetypon scribebat, caligantibus oculis in hoc loco taedii pleno et mille repetitionibus obsito, cum *opponitur* jam septies exscripsisset, incautus recurrit ad illud *opponitur,* quod octo ante vocabulis (p. 180, 15) scripserat; perrexit itaque scribere verba sequentia *ut eius sit* (p. 180, 16); denique in vocabulo *magno* quasi ad rectam viam regressus est. Sed cum librarii semidocti in eam lectionem incidissent — *opponitur ut eius sit magno ita* etc. —, quae aperte corrupta esset, verborum ordine mutando syntaxin aliquam concinnare conati sunt. Ne tamen

nimis inique semper de scribarum genere judicare videar, illud adjiciam, eum qui Bambergensem correxerit, hunc locum recte emendasse deletis verbis *ut eius sit.* Video ejusdem generis aliquid accidisse p. 368, 20, ubi post *elementorum* verba *etiam mater nam* alieno loco repetita fuere in archetypo (sic enim R^1B^1); quae verba cum manifeste absurda essent, nonnulli librarii particulam *nam* omisere; nec defuere sagaciores, qui verba perperam repetita omnino delerent.

386K.: p. 182, 11 Ab his vero contrariis, quae medio carent, haec ipsa opposita differunt, quod illa rei, cui natura insunt, omni tempore alterutra vice accidant necesse est, ut corpori animalis sanitas et imbecillitas; alterutrum eorum semper inest in corpore animalis...] *alterutrum* solus L, *alterum* ceteri. Plurimorum codicum lectionem non est cur deseramus; cf. p. 182, 7 "Cernentia et caecitas intelliguntur erga oculos, ut alterum eorum necessario insit; hoc ergo differunt ab his contrariis, quae habent medium, quia illorum alterum non necessario inest substantiae, horum autem necessario"; p. 183, 17 "... quamdiu vivit, horum alterum verum est..."; p. 184, 4 "ut et dum vivit Cicero, alterum eorum necessario sit." Non dubito equidem, quin Leidensis libri lectio ex praecedentibus *alterutra vice* orta sit.

386K.: p. 182, 22 Et tunc aliquid medium non habent. ergo contrariorum, quae medio carent, duae species sunt, id est eorum, quae alterutra vice accidunt rei, in qua esse possunt, nullo medio intercedente, ut sanitas et imbecillitas; et eorum, quae simul deesse possunt substantiae, in qua non simul esse possunt, et tunc, cum simul desunt, nihil medium intercedit, ut cernentia et caecitas, vel habitus et orbitas.] Haec verba omittunt LR^1B^1V, neque quicquam de eis dicit Remigius; itaque optimo jure dubitare licet, sintne genuina. Accuratius jam ea inspicias velim, lector. Primo quidem illud doleo, quod cernentia et caecitas hic dicuntur esse quaedam contrariorum species; at superius (p. 182, 2 sqq.) cernentiam et caecitatem non inter contraria (de quibus disputaverat 385K.: p. 180, 18 — 181, 14), sed inter ea numeravit, quae per habitum et orbationem opponuntur. (Si quis forte dialecticae parum studii impenderit, eum admonitum velim, apud nonnullos logicae scriptores opposita in quattuor genera distribui, ut Martianus ipse facit: "Opponuntur autem sibi ita, ut aut relativa opponantur ... aut ut contraria ... aut ut habitus orbationi ... aut ut aientia

negationi." Quo loco video sic esse legendum:... *ita, ut aut <ut> relativa opponantur* etc. Sed ad rem redeamus.) Itaque, si a Martiani manu haec profecta sunt, sibimet ipsi repugnare judicandus est. Deinde illud perquam absurdum est, quod hoc loco quasi duo contrariorum exempla *cernentia et caecitas vel habitus et orbatio* proferuntur, cum cernentia et caecitas eidem ipsi rerum generi subjiciantur, quae habitu et orbatione opponuntur. Aequo enim jure, si aliquanto ante dixisses solum hominem rationale animal esse, jam quasi rationalium exempla 'equos vel quadrupedes' proferres. Ut summatim dicam, verba haec sensui repugnant, in libris optimis non reperiuntur, a glossatoribus veteribus silentio transmittuntur: ecquis igitur ea ut insiticia ejicere dubitet?

387K.: p. 183, 13 A contrariis hoc differunt (scil. aientia et negatio), quod illa, si conexe dicantur, tamdiu †aut vera aut falsa sunt, quamdiu est illud, in quo inesse possunt; cum autem hoc esse destiterit,† neque vera neque falsa sunt, ut 'aut(1) stultus est ille aut(2) sapiens est' ille quamdiu vivit, horum alterum verum est, cum ipse esse destiterit, utraque falsa [sunt], quia ille, qui non est, neque stultus neque sapiens esse potest. At vero 'Cicero disputat' et 'Cicero non disputat' ita sibi opponuntur, ut et dum vivit Cicero alterum eorum necessario sit, et ipso mortuo falsum est quidem quod disputat, verum tamen est quod non disputat. Ad hunc locum Petersenius p. 39: "Tantumne fuisse cujusquam stuporem, ut haec tantopere inter se pugnantia eloqueretnr! Et tamen dubium non est, quin ipse sic scripserit. Nam quamvis lenis huic loco videri possit adhiberi medela, si pro istis: *neque vera neque falsa sunt* scribatur *utraque falsa sunt*, tamen quominus hoc probemus, prohibent illa: *aut vera aut falsa sunt*, pro quibus tum requiratur: *alterum verum, alterum falsum est.*" Dickius totum locum subditicium putat, sed nihil omnino in librorum lectionibus invenitur, unde id statuere possis. Sane non ita acutus in auctoribus suis intelligendis vel ita accuratus in exscribendis fuit Martianus, ut in his rebus senticosis non potuerit titubare; unde totum locum ad veram dialecticae normam revocare ne conabor quidem. Sed sunt leviora codicum menda in hoc loco tollenda. Particulam *aut*, quam numero 1. signavi, omittunt AR^1B^1; alterum *aut* (n. 2) librorum AR^2B^2M fide nititur, pro quo invenimus *et* in $A^mR^1B^1FS$, *aut et* in L; denique verbum *sunt* habent AL^1R^2MFSV, omittunt βA, pro eo *sed* habent R^1B^1. Itaque non admodum difficulter

intelligimus in archetypo fuisse non *aut stultus est ille aut sapiens est ille*, sed *stultus est ille et sapiens est ille*. De verbo illo *sunt*, quod Dickius uncis inclusit, illud videtur affirmari posse, in archetypo fuisse *sed*, quod servant R^1B^1. Ex compendio scribendi male soluto eam lectionem ortam esse intellexerunt multi ex librariis, veramque lectionem *sunt* ex conjectura reposuerunt. Illi tamen, qui βA scripserunt, verbum sensu carens prorsus extirpare maluerunt. Ejusdam generis errorem reperio p. 118, 5: *sed* R^1B^1, *sunt* $ΛLR^2B^2M$, *sed sunt* βA, quod Dickius incaute amplexus est. Itaque, ut ad rem nostram redeamus, totus hic locus sic exhiberi debuit: ... *neque vera neque falsa sunt, ut 'stultus est ille' et 'sapiens est ille'. Quamdiu vivit,'* etc.

391K.: p. 187, 21 Cum enim plena sit sententia, cum dicamus 'Utinam scribam', 'utinam non scribam', non potest hinc nasci quaestio, utrum scribatur.] Nonnulla hic diligenter consideranda sunt. Primum quidem invenimus libros $β^2ΛR^2MFS$ habere *dicimus*, $β^1ALR^1BV$ habere *dicamus*. Utrum horum fuerit in archetypo, dubitari possit; opinor equidem fuisse *dicamus*, sed in dijudicando, quid legere debeamus, melius nos docebit Martiani consuetudo, quam codicum incerta auctoritas. Reperio in hoc libro, qui est de dialectica: *cum dico* p. 169, 19. 20; 178, 15; 191, 4; 192, 20; *cum dicis* 178, 23 (ubi tamen *cum dicimus* RBM); *cum dixeris* 204,10; *cum dicitur* 186, 20; *cum dicimus* 162, 1; 185, 17. 19; 186, 20; 187, 9; 188, 17. Ut summatim dicam, in hac verborum formula indicativo modo semper utitur Martianus praeterquam in secunda persona. Contrarium exemplum unum reperio p. 160, 12: "Nam cum hominem a leone per differentiam volentes discernere dixerimus quod leo ferus est, homo autem mitis. . ." quod a ceteris exemplis eo etiam distat, quod illa rectam inducunt orationem, haec obliquam. Itaque melius erit hoc loco *cum dicimus* reponere. Deinde in rem sane lubricam venimus: *scribatur* Dickius ex Bernensi amplexus est, *scribat* habent $AΛR^1BFSV$, *scribam an non* R^2M, *scribat an non* F^2. Ergo fuit in archetypo *scribat*, quod Eyss. non dubitavit accipere. Quaerendum igitur sitne ferenda ista locutio: *non potest hinc nasci quaestio, utrum scribat* (sc. ille qui loquitur). Conferenda sunt p. 187, 14 "Nam de aientia et negatione quaestio sine dubio nascitur, ut 'ille currit' et 'ille non currit', quaestio est utrum currat. 'Curre' autem et 'noli currere' non facit quaestionem utrum currat." Ex his dubitanter colligo defendi posse lectionem *scribat*; nam si

rectae rationis legibus semper oboedire cogamus Martianum, scribendum erit p. 187, 18 *curratur,* non *currat.*

392K.: p. 188, 7 Et supra diximus multa dici plena sententia, quae tamen affirmari non possint et negari non possint.] Quid velit dicere Capella hoc loco, non adeo obscurum est; nam superius dixerat (391K.: p. 187, 9): "Cum dicimus 'curre', iam plena sententia est; nam nec solum intelligi, sed etiam fieri potest quod dicis; negari tamen non potest. non enim hoc negat, qui dixerit 'noli currere'." Sensus igitur loci satis elucet, sed in verbis libri mirifice dissentiunt. Ut supra exhibui, reperiuntur in A. Pro *tamen* S habet *tantum.* Primum illud *non* habent β^1AM, delet β^2, omittunt ΛLRBFSV; *possint* habent βAS, *possunt* ΛM, *possit* R^1B^1V, delet B^2, omittunt in rasura fere sex litterarum LF; verba *et negari* om. Λ^1, supplet Λ^2 ante prius *possunt*; alterum *non* habent β^1AB^2MS, delet β^2, omittunt LRB^1FV; denique *possint* A, *possunt* βMLF, *potest* S, *possit* RB^1V. Vel si alio modo intelligere facilius putes:

quae tamen affirmari possit et negari possit RB^1V
quae tamen affirmari ////// et negari possunt L^1F
quae tamen affirmari ////// et negari non possunt L^2B^2
quae tamen affirmari non possint et negari non possint A
quae tamen affirmari non possunt et negari non possunt M
quae tamen affirmari ṇọṇ possint et negari ṇọṇ possunt β
quae tamen affirmari possunt Λ^1
quae tamen affirmari et negari possunt Λ^2
quae tantum affirmari possint et negari non potest S

Ex his illud intelligendum puto: in archetypo id fuisse, quod in RB^1V inveniamus; nonnullos ex librariis recte perspexisse omnino contraria haec esse eis, quae superius Martianus dixisset, itaque particulam *non* suo Marte addidisse (sic β^1AM); nonnullos quoque in singulari numero *possit* haesisse, cum penderet a plurali *quae,* et pro eo reposuisse *possint* vel *possunt.* Hanc igitur verborum formam colligimus fuisse in archetypo: *et supra diximus multa dici plena sententia quae tamen affirmari possit et negari possit.* Nihil in his a librario peccatum fuisse opinor, nisi quod plura verba facillimo errore omisisset. Scripserat enim Martianus: *et supra dixi multa dici plena sententia, quae tamen affirmari <et negari non possint, quaestionem vero nasci ex eo, quod affirmari> possit et negari possit.* Sic enim p. 187, 12: "Hoc (scil. 'noli currere') non est adversum ei, quod dictum est 'curre', ut hoc sit verum,

illud falsum, ut possit nasci quaestio. nam de aientia et negatione quaestio sine dubio nascitur."

394K.: p. 189, 7 Illud tamen sciendum est...] *est* om. AR^{1}BS: brevior lectio praeferenda. *est* in libris perperam additur e.g. 162, 1; 166, 2.3.6; 169, 10; 173, 11; 176, 11 etc.

396K.: p. 190, 8 Quod igitur indefinite dicimus, necessario particulariter accipimus, non necessario generaliter universaliterque; quoniam id potissimum enumerandum, quod securum habet intellectum, indefinitum pro particulari accipitur.] Vix quicquam novi ad hujus loci crisin apporto, quem Petersenius centum abhinc annis recte emendaverit. Adverbium *generaliter* habet solus A; at epitheto quod est *generalis* alibi nullibi in hoc libro utitur Capella, cum *universalis* et *universaliter* sescenties ponantur. Nullus dubito archetypi lectionem fuisse *non necessario universaliter quae quoniam* etc., quod varie sollicitaverunt monachi emendaturientes, invenitur tamen adhuc in L^{2}R^{1}B^{1}V. Ut sensum et syntaxin aliquam habeamus, legendum cum Petersenio *universaliter, <quare> quoniam* etc., vel (ut aliquid ipse, si non agere, at satagere videar) *universaliter, quoniamque*, cum vel levissima mutatio sit pro *quequoniam* reponere *quoniamque.*

400K.: p. 193, 8 Et in hac conversione observandum est, quod ubi non est negatio cum directo proponimus, fit dum convertimus.] "Hic loquitur de conversione ea, quam secundam dicit, qua particulae proloquiorum indefinitae fiunt, velut cum hoc proloquio: *quoddam animal homo non est,* converso fit: *quidam non homo animal est.* Discrepant autem a supra positis veteres libri in his: *quod* om. B^{1}R, pro *ibi fit* B^{1}R^{1} *si,* B^{2} *ibi sit,* R^{2} *ibi fit si.* Quare scribendum videtur: *in hac conversione observandum est, ut ubi non est negatio cum directo proponimus, sit dum convertimus.*" Sic solita sagacitate Petersenius p. 13, quem admonentem audire debuit Dickius; nam particula *ut* facillime excidere potuit ante *ubi,* praesertim si compendio ū scriptum fuisset. Accedit, quod et F^{1} et Vossianus *quod* omittunt; unde non dubitandum, quin Peters. locum recte constituerit.

396K.: p. 190, 14... in qualitate item duae, quarum alia dedicativa, altera abdicativa.] Pro *quarum alia* R^{1}B^{1}V habent *qualia;* item pro *altera* invenimus *altera altera* in LR^{1}BV: non absurde igitur faciemus, si archetypi lectionem fuisse suspicemur: ... *duae,*

qualia dedicativa altera altera abdicativa. Facile nunc emendare possis: ... *duae, quarum dedicativa altera, altera abdicativa.*

401K.: p. 193, 16 In primo angulo superioris lineae scribatur universalis dedicativa et in alio eiusdem angulo [universalis] abdicativa; item infra ad primum angulum [inferioris lineae] particularis dedicativa, ad angulum reliquum particularis abdicativa.] Vides me, lector, nonnulla verba uncis inclusisse: ex eis *universalis* omittunt R^1B, *inferioris lineae* omittunt $\beta A^1R^1B^1V$, neque dubitandum censeo, quin spuria sint. Video et vocem *constitutionis* p. 193, 5 aeque insiticiam esse et in solis βA, libris foedissime interpolatis, reperiri.

402K.: p. 194, 10 Nam utique non potest simul negari[(1)] 'non[(2)] quaedam voluptas bonum' et 'non[(3)] quaedam voluptas non[(4)] bonum[(5)]; at vero simul potest affirmari[(6)] et 'quaedam voluptas bonum est[(7)]' et 'quaedam voluptas non est bonum[(8)]'.] Has varias lectiones notat Dickius ut solet accuratissime: (1) *negari* om. LR^1B^1; (2) *non* om. β^1AF^1; (3) *non* om. βAL^1R B^1MFS; (4) *non* om. R^1B^1; (5) bonum] *bonum esse* $\beta^2\Lambda LR^1B^1F^1$, *bonum est* $AR^2B^2F^2$ MS; (6) simul potest affirmari] *potest simul affirmari* $A\Lambda R^2B^2MFS$, *potest* LR^1B^1 (nam solius Bernensis auctoritate nititur lectio illa, quam Dickius amplexus est); (7) *bonum est* $\beta AR^2B^2MF^2S$, *bonum esse* $\Lambda R^1B^1F^1$; (8) *non est bonum* β, *bonum non est* $AR^2B^2MF^2S$, *bonum non esse* $\Lambda LR^1B^1F^1$. Nemo non videbit totum hunc locum spurcissimis monachorum manibus valde detortum esse. In R^1B^1 sic legitur (in omnibus suffragante Vossiano): *Nam utique non potest simul non quaedam voluptas bonum et quaedam voluptas bonum esse. at vero potest et quaedam voluptas bonum esse et quaedam voluptas bonum non esse.* Simpliciter haec et veraciter, quae Anglico sermone, (quantum materiae siccitas permittit) ita reddere conabor: " 'Not-some pleasure is good' cannot be true simultaneously with 'Some pleasure is good'; but 'Some pleasure is good' can be true simultaneously with 'Some pleasure is not good'." Praeter haec in Reich., Bamb., Voss. servata, omnia quae in hoc loco reperiuntur, futtilia sunt librariorum commenta.

406K.: p. 197, 9 utilem esse voluptatem] Hic *utile* habent $\Lambda L^1R^1B^1$; infra ad 13 et 19 notat Dickius, "*utile* malim." Inspiciamus varias lectiones, si forte cognoscere possimus, neutrone genere an feminino hoc epitheton ponere soleat Martianus, quoties volup-

tatem vel virtutem utilem esse vel affirmet vel neget. Accusativo casu reperio hoc uno loco p. 197, 9; recto casu quattuor locis occurrit — p. 197, 13 *utilis* libri omnes; 197, 19 *utilis* libri omnes; 198, 10 *utilis* B^2FS, *utile* βAΛLRB^1M; 198, 18 *utilis* ΛB^2MF, *utile* βALRB^1S. Itaque, si de solis R^1B^1 quaeramus, tribus locis neutro genere ponitur, duobus locis feminino; sin codices omnes numerare velis, plures non negabis feminino genere libentius uti. Sed ea sunt praestantia R^1B^1, ut Dickio magis assentiar, velimque *utile* omnibus his locis reponere. Nam in proclivi fuit librariis feminino genere epitheton ponere, quod ad *virtutem* viderent esse referendum; ut nos quoque, pueri cum essemus, mirabamur qua audacia Vergilius *triste lupus stabulis* dixisset.

407K.: p. 197, 19 omnis igitur virtus utilis est.] Illud *est* delendum censeo, quippe quod et abundet et in libris R^1BMS non inveniatur. Videsis quae notavi ad p. 189, 7.

407K.: p. 197, 23 Ratiocinatio igitur ... dividitur in duo genera: praedicativum et condicionalem syllogismum. praedicativus est, in quo sumpta ita sibi nexa sunt, ut aliquo extrinsecus addito suppleantur...] Vocem *syllogismum* omittunt ALR^1BS, unde facile colligas in archetypo non fuisse; dein titulum QUID SIT PRAEDICATIVUS SYLLOGISMUS addunt βALRBFS. Ineptos hos titulos per omne Martiani opus sparserunt librarii, primo quidem in marginibus, deinde in verborum contextu scribentes, ut hoc loco. Nihil magis absurdum vel imaginatione confingi potest. Concipe animo, lector, Dialecticam in ipso deorum coetu ita loquentem: QUID SIT RELATIVUM ... QUID FACERE, QUID PATI ... DE PERIERMENIIS et id genus plura. Sed haec quidem, ut absurdissima sunt, ita verborum memoriae non admodum nocent; gravius est, immo gravissimum, quod hic illic propter titulos in verborum seriem acceptos mutata sunt ea, quae Martianus scripsisse judicandus sit, ut 161, 1 'antequam de hac dicam...' Pronomen enim *hac* ad substantiam referendum est; sed de substantia ne verbum quidem adhuc dictum est, nisi in titulo isto QUID SIT SUBSTANTIA (v. Dick. ad p. 165, 22). Itaque non sine ratione Dickius eo loco legere vult 'Antequam de substantia dicam...' Sic hoc quoque loco propter titulum corruptelam nescioquam irrepsisse arbitror. Nam cum illud *syllogismum* (p. 197, 25) non fuerit in archetypo, levissime mutare videbimur, si cum editione principe *praedicativum et condicionale* scribamus. Mox post *prae-*

dicativus addendum est *syllogismus*, quam vocem ideo omisit librarius, quia in titulo isto syllogismi mentionem jam factam esse perspexit.

408K.: p. 198, 13 Declarativa superioris fit subiectiva sequentis, ut in superiori proposito exemplo.] Pro *superiori* habent *superiore* S, *superioris* βLRB[1]. Hoc sine dubio posuerat is, qui archetypon scripsit, post prius *superioris* perseverando. Correxere librarii nonnulli, sed debuerant vel *superius* vel *supra* reponere, ut p. 198, 2 'hoc quod supra dictum est'; 198, 4 'totum quod supra positum est'.

410K.: p. 199, 9 Nunc dicendum est singulae formae quot modos recipiant [nam recipiunt intra se certum numerum] extra quos modos quicquid conclusum fuerit, non est temere concedendum.] Verba *nam ... recipiunt* quasi insiticia ejecit Dickius, sed male; nam si illa abessent, scribendum erat *non sit temere concedendum.* Sed illud *se*, quod omittunt β[1]RB[1]MF[1]SV, monachi cujusdam temulenti figmentum est. Lege cum archetypo: *Nunc dicendum est, singulae formae quot modos recipiant; nam recipiunt intra certum numerum, extra quos modos quicquid conclusum fuerit, non est temere concedendum.*

420K.: p. 205, 11 Est primi modi forma haec ... secundi haec ... tertii haec ... quarti haec ... quinti [haec] ... sexti [haec] ... septimi [haec] ...] Pronomina ea, quae uncis inclusi, omittunt R[1]B[1], neque ullam idoneam causam video, cur Martianus noster cogatur septies idem repetere.

426K.: p. 211, 18 ... pectus autem exquisitissimis gemmarum coloribus subbalteatum.] Sic Dickius ex βA, *balteatum* ΛLMV, *subalteatum* R[1]. In R servari opinor archetypi lectionem, quam varie emendaverint librarii. Eum vero recte emendavisse censeo, qui litteras *su-* omnino exulare jusserit, utpote a fine praecedentis *coloribus* repetitas. Nam *coloribus balteatum* clausulam usitatam efficit, *coloribus subbalteatum* prorsus nullam.

431K.: p. 213, 12 Alter vero, quem consularis purpura et coniurationis extinctae laurea redimibat, mox ingressus curiam superum et in Iovis gratulatus se venisse conspectus, clamare laetior coepit, "O nos beatos, o rem publicam fortunatam, o praeclaram laudem consulatus mei."] Pro eo quod est *gratulatus* Λ[1]L[1]R[1]B[1]V habent *gratulatus est*, quam veram lectionem esse

non dubito; nam *mox* hoc loco conjunctionis vicem gerit, ut 89K.: p. 37, 16 "Haec (scil. Tyche), mox Fata conspexit omnia, quae gerebantur in Iovis consistorio, subnotare, ad eorum libros et pugillarem paginam currit." Sed ea locutio cum exquisitior esset, a sciolis emendaturientibus proturbata est. Verum hoc loco et alius cujusdam negotii admonemur, quod breviter conficiemus. Pro *redimibat* Reichenauensis habet *redimebat,* quod Dickius recipere recte noluit. Vellem eadem cautione et alibi usus esset! Nam p. 25, 10 et 33, 1 *cupiret* ex eodem Reichenauensi avide arripuit, cum in ceteris *cuperet* scriptum esset. Non hercle negaverim posse fieri, ut in archetypo fuerit *cupiret,* sed aetate Merovingica ita passim confundebantur *i* et *e,* praesertim in verborum formis, ut satius videatur errorem mere orthographicum in transcursu corrigere. Si quis exempla quaerat, pauca allegabo: p. 16, 22 videt] vidit RO; 17, 11 arrogarit] arrogaret R; ibid. impenderit] impenderet R^1O; 24, 14 descendit] discendit RB^1; 24, 20 descendis] discedis R^1; 26, 11 collegae] collige R; 29, 15 venere] venire Λ^1B^1R; 30, 15 contegit] contigit R; 32, 4 vanescentis] vanescentes R^1; 33, 11 ille] illi R; 34, 16, virorem] verorem R; 38, 9 suscepere] suscipere $R^1\Lambda^1$; quibus si quis velit plura adjungere, reliquos octo libros evolvat, nam ego primo libro contentus fui. Apud has barbari aevi sordes multa quoque recte servabantur in archetypo, quae postea ab interpolatoribus temere mutata sunt, ut *Vergilius, cybus, Alexandrea* etc., pro quibus vulgo in libris nunc leguntur *Virgilius, cubus, Alexandria;* sed critici officium est dignoscere, ut satirici verbis utar, vera bona atque illis contraria.

435K.: p. 214, 15 Denique nonnulli superum, cum in trepidatione bucinae praecedentis et admiratione amicitiae superorum incerti diutius divinatorem Phoebum cuperent sciscitari . . .] *trepidationem* et *admirationem* $L^1R^1B^1$, unde nemo nisi mente captus negabit recte Bentleium conjecisse *inter trepidationem . . . et admirationem.* Facillime enim pro *in̄trepidationem* scribae reponere poterant *intrepidationem,* eo scilicet erroris genere, quod nos sesquipedali verbo haplographiam vocamus.

437K.: p. 215, 21 . . . ni et hoc ad immortalitatis praemium proficeret, quod iubetis, ac fiducia perennitatis accendat exsequi vel primora tamen Iove cum superis imperante.] Negat Rhetorica se artis suae praecepta decantaturam fuisse, nisi a dis ipsis rogaretur. Pro *fiducia* invenimus *fiduciam* in $A^1\Lambda^2R^1B^1V$, unde Halmius

fiducia me legendum esse conjecit. Non facile est dijudicare utra librorum lectio praeferenda sit. Equidem, cum video libros sinceriores habere *fiduciam,* nolo cum monachidiis conjectandi viam ingredi, nam sic locum interpretari posse mihi videor: ... *ni et hoc, quod iubetis, ad immortalitatis praemium proficeret, ac exsequi vel primora tamen Iove cum superis imperante fiduciam perennitatis accendat.* Illud enim librariis offuit, quod non perspexere *exsequi primora* esse subjectum, ut dicimus, verbi quod est *accendat.*

442K.: p. 217, 18 Iudicatio enim ... ipsa pars non poterit rite censeri, licet quid dicendum quidve silendum sit dispensatio iudicationis examinet.] Sic Dickius, libros vulgares secutus. Pro verbis *quid dicendum quidve silendum* LRB habent *dicendum quid silendumve,* quod Eyssenhardtius, vir nimia festinatione aliquando in errorem prolapsus, sed tamen linguae Latinae minime imperitus, recte se habere intellexit. Similis locutio est p. 152, 23: "solam se discernere verum quid falsumve sit." Sic enim lego cum editoribus plerisque, *falsumne* codd., quod defendi non posse arbitror. Librarii in hoc loco non perspexerunt *quid* esse pronomen indefinitum, itaque suo Marte mutare ausi sunt.

445K.: p. 218, 26 Inveniuntur igitur (scil. status) per intentionem et depulsionem. Intentio est obiectio eius facti, quod in iudicium venit. depulsio est quaedam resistens intentioni negatio.] Sic Dickius interpolatorum codicum fide. *est* post *depulsio* omittunt LRB, item *negatio* omittunt LRB^1V, sed addidit quidam glossator in V inter scribendi lineas. Halmius quidem, cum Martianum inter minores rhetoricae scriptores ederet, verbo *negatio* omnino carere maluit, quem et Eyssenhardtius secutus est. Sed negandi notionem flagitari recte ostendit Dickius, collato Augustini loco (*rhet.* 11, p. 144 apud Halm.): "Intentio est 'occidisti'; negatio 'non occidi'; quaestio 'an occiderit'." Si, ut par est, LRB^1 lectionem ad archetypi verba proxime accedere putabimus, facillime sic emendabimus: *depulsio* <*negatio*> *quaedam resistens intentioni.* Nam *est* suo more addidere librarii, ut sescenties apud Martianum; *negatio* post *depulsio* facile excidere potuit, sed nulla causa fuit, cur post *intentioni* excideret.

450K.: p. 223, 1 Sic igitur inveniendi status facilis erit ratio, cum neque nomen admissi neque auditoris officium neque lex aut scriptum aliquod intentionis loco obici poterit.] Sic Dickius, cujus

annotationem criticam exscribam: "3 *lex* scripsi *legem* Ωv.; sic enim utique locus sanandus est! contra '*ingerimus*' ante *intentionis* et 'quae' (*qui* B^1 del. b om. Ω) ante *obici* add. Halm. praeterea '<*quae*> *obici poterit*' del. Eyssh. denique *obiecerimus* coni. Pet.; eiusmodi corruptelae frequenter occurrunt, cf. e.c. 321, 12. 324, 7. 374, 11 (adn.) sq. *obici poterit* Ω sed in Λ corr. in *obiicimus* λ, quae lectio (ut Pet.) deberi videtur alicius viri docti ingenio." Vides, patientissime lector, rem satis difficilem esse, licet bonus ille Koppius, quem Eyssenhardtio praeferre gaudent, ne animadvertisse quidem videtur accusativum pro nominativo positum esse: tamen spero nos et hanc sphingem debellaturos esse. Et ut primum pauca de loci sententia praemoneam, alludit Martianus ad ea, quae prius de intentione dixerat: p. 219, 14 "quod si non factum obicias, sed criminis nomen, negatione diversae partis non erit manifestum, qui status existat... Est igitur intendendum ipsum illud, quod factum est." Item p. 220, 4: "Item cavere debemus, ne intendamus auditoris officium;" et p. 221, 19: "Ergo oportet attentius intueri, ne ea, quae auditoris officium habuerint, intendamus, ut si Verri, quod damnandus sit, edicatur." Confer quoque p. 222, 6: "Cavendum aeque ne, cum lex ulla vel scriptura in causa tractatur, intentio sumatur ex lege, ut si dicas, 'Lex te murum vetabat ascendere peregrinum.' "

Tenemus jam, quae in intendendo vitanda sint; sed quaero an recte dici possit (id quod Martianus hic innuere videtur) haec intentionis loco obici non posse. Non debere, concedimus; posse tamen jam ipse Martianus confessus est; nam stultissimi erat lectorem monere ne id faceret, quod omnino fieri non posset. Recte igitur Halm. et Peters. locum ita emendare temptabant, ut huic difficultati mederentur. Sed facilius rem hoc modo expediemus: *Sic igitur inveniendi status facilis erit ratio, cum neque nomen admissi neque auditoris officium neque legem aut scriptum aliquod <intendendum esse meminerimus, quod> intentionis loco obici poterit.* Facile enim ea, quae supplevi, excidere poterant. Contra *lex* in *legem* mutatum fuisse non facile concedam. Nam si exempla illa inspicias, quae citat Dickius, haud promptior fies ad credendum. Nam p. 321, 12 pro *Delphos* vel *Delphus* in libris repertum reponit Dickius *Delphi* (elegantius *Delphoe* scripsisset); p. 324, 7 pro *Orestidam* vel *Orestidem* loco corruptissimo ponit *Orestida*; p. 374, 11 pro *duas* liber L habet *duae.* Sed nihil horum eo impellere videtur, ut *legem* pro *lex* librarium scripturum fuisse credamus.

Deinde pergit Martianus: *Itaque talis est intentio, 'Hominem occidisti', depulsio 'non occidi': quaestio ex his oritur an occiderit.* Sed copulam *est* omittunt L^1B^1V (hoc loco Reichenauensis testimonio caremus), et certe melius aberit, si cum Petersenio legerimus: <*Sit*>*itaque talis intentio*... , cum verbum *sit* post *poterit* facile excidere potuerit. Viris, non pueris, haec scribo, itaque vix admonendum arbitror jubendi notionem, quae conjunctivo modo inhaereat, huic loco unice convenire; quod nec veterem illum Vossiani glossatorem fugit, qui hanc annotationem adjecerit: 'scil. debet esse'.

452K.: p. 224, 14 Hic utrumque factum definitione tractandum, id est et quid sit sacrilegium et quid furtum.] *Hic utraque* β^1AR^1B, quam archetypi lectionem fuisse statim perspexeris. Et recte mehercle, nam istud *utrumque,* quod Dickio placuit, ut librorum auctoritate caret, ita sensui plane repugnat. Non enim de duobus factis, sed de uno tantum agitur, id est de poculorum sacrorum e sacerdotis domo subreptione, quod factum esse reus non negat. Sed duae definitiones in hac causa versantur, cum reus dicat furtum se, non sacrilegium fecisse. Anglico sermone, si volueris, ita vertere possis: "The discussion of this act involves the two definitions — that of sacrilege and that of theft."

462K.: p. 229, 13 Ac si ad probationes scriptura profertur, hinc iudicatio legalis orietur, cuius sunt species quinque. una est <ambiguitas>, cum scripto aliquid plurave continentur, quae a Graecis amphibolia memoratur...] Vocem *ambiguitas* addidit Dickius, sed infeliciter; cf. p. 230, 7 "item species scriptionalis est quaestionis quae ex verbis et sententia scriptionis emergit..."; p. 230, 12 "tertium quaestionis est genus, cum contrariae leges utrimquesecus colliduntur"; ibid. "quarta de scripto quaestio est, quae dicitur syllogismus, cum ex eo quod scriptum est aliud quoque quod non scriptum est argumentatione colligimus..."; 231, 12 "finitiva superest quaestio de scripti ambiguitate demanans, cum aliquod verbum in lege vel testamento dubium est et definitione clarescit." Ex his satis apparet non modo non desiderari vocem illam *ambiguitas,* sed prorsus exterminandam fuisse, si adesset; nam in omnibus his definitionibus aut nullum generis nomen aut Graecum tantum aut Latinum tantum addit, nusquam et Graecum et Latinum.

467K.: p. 232, 17 Ac sic conflictione partium facta status poterit apparere, ut in tali causa: "Crebro ad muros exercitu fugiente deliberat imperator, utrum diruat muros." muros exscindi cum dicit, nonne videtur, si fecerit, accusari, deinde graviter et seditiose id exercitum perpessurum?] Quicumque haec capere poterit, is mihi magnus erit Apollo. Hae fere variae lectiones sunt: *muros* bis scriptum habent βAΛLMB^2, semel tantum RB^1; *accusari* βAL^{2}R^{2}B^2, *accusare* vero ΛL^{1}R^{1}B^{1}M. Itaque sic scriptum fuisse opinor in archetypo: *deliberat imperator utrum diruat muros exscindi cum dicit nonne videtur si fecerit accusare.* Videamus igitur, quemnam sensum inde elicere possimus. In eis, quae praecesserant, quaestio proponebatur, in deliberativo genere quis intendere, quis vero depellere putandus esset, cum jam dictum fuisset statum ex intentione et depulsione nasci. De qua quaestione haec est Martiani sententia: intendere, id est paene accusare negotium, eum videri, qui dissuadeat; intentionem vero depellere eum, qui suadeat. Ut ipsius verbis utar: "Qui enim inhonestum vel inutile illud quod dissuadet ostendit, pro certo ipsum videtur accusare negotium. persuasor vero partes arripit defensoris..." Jam tandem tenebrae aliquantulum extenuari videntur; tenemus enim, quo sensu accipienda ista verba sint — *nonne videtur, si fecerit, accusare.* Quippe is, qui videtur accusare, nemo est nisi ipse dissuasor, de quo superius agebatur. Sed quo modo, quaeso, negotium quasi accusat? Nempe inutile vel inhonestum ostendendo. Et inutile quidem monstrare conatur, cum dicit graviter id exercitum perpessurum; sed illud *deinde* satis proclamat aliud quoddam argumentum praecessisse; et quodnam istud fuerit, non difficile est perspicere. Namque non tam corrupta, quam mutila et manca sunt Martiani verba, quae sic fere resarciri possunt:... *deliberat imperator, utrum diruat muros. <dissuasor primum id honestum negabit; qui non oportere muros> exscindi cum dicit, nonne videtur, si fecerit, accusare? deinde graviter* etc. Si quis forte mirabitur Martianum ita locutum esse — *nonne videtur* (scil. dissuasor), *si fecerit* (scil. imperator), *accusare* —, similem locutionem reperiet p. 233, 10: "... cum eius (scil. dissuasoris) officium hoc sit, ne faciat (scil. auditor), persuadere."

469K.: p. 234, 12 Et simplex est (scil. causa), cum unum quid in tota actione disquiritur ...; duplex tum ex rebus fit ..., tum collatione ...; multiplex vero, cum ex pluribus quaestionibus

causa consistit.] Conjunctionem *cum* omittunt AΛLRBV; recte ergo Halm. et Eyss. ita exprimendum curaverunt: *multiplex vero ex pluribus quaestionibus causa consistit.*

472K.: p. 236, 5 Ergo ductus de consilio nascitur, consilium ex causativo litis exoritur. causativum litis est, quod facit dubitationem, ut in illo tyranni causativum litis est, quod tyrannus custodiam et arcis postulat et armorum.] *litis* alterum omittunt $Λ^1$LRB^1V, quod vocabulum, ut sine codicum auctoritate nolim omittere, sic libenter exulare jubeo, cum nonnisi deterrimorum fide niti videatur.

481K.: p. 239, 8 Cuius argumenti (scil. a parte ad partem) loco incurrere et aliud potest, quia a maiore ad minus ducitur.] Sic fere edunt, sed codices longe aliter. *aliud* ed. pr., sed *alius* libri omnes; deinde *quia a* ed. pr., *qui a* omnes praeter R^1, ubi *qua* legitur, et Vossianum, ubi *quia* per compendium scriptum est; tum *a maiore ad minus* solus Λ, *a minore ad maius* ceteri; denique *ducitur* $Λ^2R^2B^2$M, *dicitur* ceteri. Itaque in archetypo scimus fuisse *incurrere et alius potest qui a minore ad maius dicitur.* Quaeramus jam, quemnam sensum hoc loco sperare debeamus, ut quatenus haec emendanda sint cognoscamus. Id quod unius argumenti loco incurrere potest, nihil potest esse nisi aliud argumentum; unde masculinum illud *alius* ferri nequit. Adhuc cum editore principe facimus. Sed cum pro *alius* reposuerimus *aliud*, relativum statim emendare debebimus, cujus pronominis formae sescenties inter se commutantur in Martiani libris. Nihil simplicius et apertius, quam *quod* pro *qui* reponere. Satis jam factum opinor, et ceteris archetypi in hoc loco lectionibus acquiescendum. Vult enim dicere Martianus, pro illo argumento a parte ad partem id argumenti genus induci posse, quod 'a minore ad majus' rhetores appellant; id est hujusmodi — "Si pedes, si manus diligenter conservare debemus, quanto magis oculos, quorum jactura multo gravior est?" Nam si a manu vel pede ad oculum argumentum duces, argumentabere vel a parte ad partem vel a minore ad majus.

507K.: p. 249, 19 At ubi maiora quaeque potissimum et invidiosiora purganda sunt, ab his sumitur refutationis exordium, ut pro Cluentio coniecturae partibus expeditis ad praescriptionem legis accessit ordinis videlicet commutatione, ne si Cluentium legis assertione non defenderet, fugere causam diffidentia videretur.]

Cum omnino recte haec a Kopp., Eyss., Halm. expressa essent, Dickius Bernensem et Leidensem suos secutus duobus mendaciis locum pollui passus est. Et primum quidem ex β assumpsit illud *ordinis... commutatione;* R¹B¹ habent *ordine... commutatio,* quam lectionem fuisse archetypi non dubito, nam quae in ceteris inveniuntur (*ordine... commutato* AΛLR²B²MV, *ordinis ... commutatione* β) e conjectura orta sunt, ut locus aperte vitiosus sanaretur. At multo elegantius correxit is, qui pro *commutatio* reposuit *commutato,* quam is, qui *ordinis* posuit pro *ordine* et *commutatione* pro *commutatio.* Ei mihi, quanto melius Dickius Martianum edidisset, si in Bernensem illum numquam incidisset! Deinde post *assertione* induxit *non,* librorum AM auctoritate fretus, licet omittant βΛLRBV. Hac particula inducta Dickius clausulam et sententiam corrupit. Recte enim Koppius: "Praeterea Reichenauensis auctoritate delevi *non,* quod vulgo ante *defenderet* legebatur; quod recte me fecisse intelliget qui ipsam Ciceronis orationem (cap. 52 sequ.) inspexerit, ubi consulto se ait Cluentii causam non lege sed facto ejus defendisse, ut non saluti modo ejus, verum etiam existimationi prospiceret, factoque demum purgato ad legis mentionem transit, etsi videretur, si nihil aliud voluisset, lege recitata perorare potuisse."

553K.: p. 265, 17 Προσαπόδοσις, redditio orationis; id est, cum nomen in postrema parte membri (aut eadem quaecumque pars orationis) redditur, ex quo idem membrum coepit, ut si dicas: "Publicas tibi calamitates imputare debet res publica."] Exemplum hoc paulo aliter dat Aquila Romanus: "Tibi, sceleratissime omnium, imputare debet omnes calamitates respublica, tibi." Nunc vide, ut librarii mentiantur! Apud Martianum epitheton illud *publicas* in omnibus fere libris invenitur; solis Reichenauensi et Bambergensi deest, sed et in ipsis altera manu additum invenitur. Non difficile est videre quid acciderit. In archetypo fuit: *tibi calamitates imputare debet res publica* (leviores corruptelas taceo), cum pronomen *tibi* casu excidisset. Addidit nescioquis doctrinae coenobiticae phoenix *publica* (βAΛ¹L¹B²) in initio sententiae, ut omnimodo ab eodem inciperet, quo in fine reversura esset. Sed cum illud *publica* nullam neque syntaxin neque sensum efficeret, alius vel praestantioris ingenii in *publicas* mutavit. Hoc vel unum exemplum satis docere potest, quantas calamitates non ex mero fortunae ludibrio, sed ex semidoctorum homuncionum industria, Martiani Capellae verba perpessa sint.

554K.: p. 275, 16 Propositiones aut principalium quaestionum sunt aut incidentium, aut simplices aut coniunctae. simplex est, ut 'meretricem amas'; coniuncta, ut 'luxuriaris et meretricem amas'. coniunctae autem per partitionem maxime proponuntur...] Sic Dickius, sed non bene opinor. Reichenauensis locum ita exhibet: *simplex est luxorialis coniuncta aut luxurialis ut meretricem amas;* sed post *luxorialis* addidit R^m *et meretricem amas,* et pro *ut* R^m habet *aut.* In Bambergensi invenimus: *simplex est luxurialis* (dein rasura 20 fere litterarum) *ut meretricem amas.* Ceteri habent: *simplex est luxurialis ut meretricem amas.* Vides, lector, mirum in modum Martiani verba depravata esse in recentioribus; nam pristina illa Reichenauensis lectio (modo quisquilias orthographicas neglexeris) omnino vera fuit. Scripsit enim Capella: *Simplex est 'luxuriaris'; coniuncta 'aut luxuriaris aut meretricem amas'.* Quippe haec crimina ingeri videntur adulescentulo enormes sumptus facienti, cum pecunia tam cito dilabi non posse videatur, nisi aut luxuriose vivat aut meretricem amet. Quid enim tritius in comoediis, quam adulescentem paternos nummos in illud erogare, ut Philematium suam vel Glyceram a Ballione comparet? Et certe partitionis nullus locus erit, nisi duo crimina per *aut* conjunctionem jungantur: vide enim quod partitionis exemplum supra dederit (482K.): "Equum hunc, quem habes, aut emisti aut dono accepisti aut natus est domi aut furatus es."

585K.: p. 290, 15-16 Sic igitur furvae oculos splendescere noctis / cerneres ex auro ut sacra flamma micat.] Torsit editores hoc distichon, cum in leges metricas ter peccare videatur. Sed hiatus in medio versiculo apud Martianum non nimis displicere debet; quippe vir doctus Christophorus McDonough in dissertatione inedita (Univers. Toront. ann. 1968) admonet hiatum inter duo penthemimera inveniri sex locis (290, 6. 16; 291, 2. 4; 470, 5. 11), quorum locorum vir clarus F. Stangius tres quidem totos versiculos ejiciendo emendaverit, tres impunitos abire siverit. Quod quidem minus recte factum opinatur McDonough: "One is left with the conclusion that Stange rejected these lines because even his considerable metrical skill was insufficient to emend them in any neat or plausible way." De hiatu ad caesuram in hexametris idem p. 124: "It is probable that hiatus at the caesura must be accepted as an integral part of Martianus' style. It was certainly a regular mediaeval practice; a very late classical writer ... is where the first

examples of this phenomenon would be expected to occur in any great number." Restat igitur, ut de verbo *cerneres* quid putandum sit videamus. McDonough op. cit. p. 119 praeter Anthol. Lat. 683, 16 jam a Stangio allatum adducit Venant. Fort. 7. 16, 45 iussissēs; 3. 18, 9 recitassēs; 6. 5, 84 petissēs; sed cum ipse his exemplis ex auctore semibarbaro effossis parum stabiliri putet librorum Martianeorum lectionem, *cernas* (quod in margine unius ex suis libris manuscriptis invenit) praeferendum censet. Sed vereor ne Koppianissima edendi ratio illa videatur, si lectione libri nesciocujus obscurissimi archetypi verba repraesentari putemus; in quem errorem cecidisse non putandus est McDonough, qui *cernas* ut meram conjecturam accipiat. Cogitanti vero mihi, unde possit fieri, ut *cerneres* in libris fere omnibus reperiatur, occurrit Reichenauensis lectio *cernere*, unde totam hujus loci historiam quasi mente concipere possis. Scripsit Martianus *cernas*; is, qui archetypon scribebat, post *splendescere* perseverando *cernere* posuit, unde nullo negotio librarii syntaxi medentes *cerneres* sibi fabricaverunt. In Vossiano scriptum est *cerneres*, addito tamen glossemate 'scil. poteras si adesses', quod ad pristinam lectionem *cernere* forsitan referendum sit.

588K.: p. 291, 22 Ac prius vocabuli mei promenda ratio est, ne indecenter squalentior peragratrix caelicolarum curiam... rurali respersura pulvere credar intrasse.] Recte Dickius *squalentior* maluit, licet Camillus Morellius satis ridicule *exsqualentior* defendere conatus esset. Neminem vel mediocriter peritum effugiet *ex(s)qualentior* (β^2RB^1MV) nihil esse nisi *squalentior* addita littera *e* quam protheticam dicunt, ut *escribitur* p. 86, 19. Sed expellendum erat verbum *est*, quod omittunt ΛLRBMCV. Post gerundivum *est* libenter addebant librarii, ut supra notavimus.

595K.: p. 295, 3 Denique ipsa vasa, quae horoscopa vel horologia memorantur, pro locorum diversitatibus immutata componuntur, alioque gnomone ultra quingena stadia discernuntur, umbris pro locorum aut elationibus celsis aut inclinationibus infimatis.] Nihil hic est, cur de sensu haereamus, sed in verbis (quod fortasse hominibus emunctae naris risum moveat) Martiani elegantiam requiro. Displicet enim illa in commatum fine verborum similiter desinentium repetitio — *memorantur... componuntur... discernuntur* — quod ex scribarum potius perseveratione, quam ex Martiani judicio profectum esse arbitror. Deinde nemini non appa-

rebit, verba *immutata componuntur* rhythmum efficere Martiano inusitatum, cum *immutata componunt* clausulam efficiant notissimam, ex cretico et spondeo constantem. Ex apparatu critico discimus duo codices, inter quos R[1], habere *componunt*, non *componuntur*. Itaque suspicionibus his, quas leviores esse non negabo, adducor ut putem Martianum sic reliquisse: ... *pro locorum diversitatibus immutata componunt, alioque gnomone ultra quingena stadia discernunt.* Activa et passiva apud Martianum passim a librariis confundi jam alibi notavi (Mus. Rhen. 111, 1968, 80).

605K.: p. 299, 1 Sed nos cum illis diversitas temporum velut quadam contrarietate discriminat. nam cum aestate torremur, illi frigore contrahuntur; nam cum hic ver pubescit florentibus pratis, illic edomita aestas teporibus autumnascit...] Miror neminem adhuc vidisse *nam* semel a Martiano positum esse et a dormitanti scriba repetitum esse.

Non praetereundum censeo, hoc toto loco, qui est de Antipodibus, mirum in modum delirare Martianum, quem nulla criticorum auxilia a gravissimo ignorantiae crimine eximere possunt. Nam si quis recte aestimare velit, videbit nos et antipodas nostros habere contrarios dies itemque contraria anni tempora; antoecos vero nostros, qui in hemisphaerio austrino habitant sed in eodem fere gradu longitudinis geographicae, contraria anni tempora sed communes dies noctesque nobiscum habere; antichthonas denique, qui aeque ac nos in hemisphaerio septentrionali habitant sed a nobis per 180 gradus longitudinis separantur, communia nobiscum anni tempora, sed contrarias noctes diesque habere. Martianus tamen haec dicit: (1) Nos ab illis (de quibusnam loquatur, non apparet) diversitate temporum discriminari; nos septentrionem videre posse, illos numquam videre. Si haec de antipodibus vel de antoecis dicerentur, vera essent; veruntamen de antipodibus non dici ex sequentibus elucet. (2) Nos et antipodas nostros communia anni tempore habere. Falsissimum hoc esse non est quod dicam. (3) Nos et antipodas nostros contrarias noctes diesque habere. Recte hoc. (4) Antipodas nostros Septentrionem non videre. Satis bene hoc quoque. (5) Antoecorum antipodas (id est antichthonas nostros) eadem anni tempora habere, quae et antoecos. Ecce alium errorem. (6) Antichthonas nostros in austrino esse hemisphaerio. Hoc si, ut par est, deridebis, magno quatiere cachinno, cum ad ultimum veneris: (7) Neminem praeter antichthonas

austrinum caeli polum videre. Sane vellem, si fieri posset, Capellam meum tam crassae ignorantiae crimine purgare; sed nullo modo ab auctore in librarios hoc dedecus removeri poterit.

608K.: p. 300, 5 Verum illae duae regiones, quas fasceas item dixi, quarum una vicinantis Plaustri algore crustatur, altera transaustrini halitus desertione contrahitur, antipodas proprios non habent, sed ipsae sibi invicem contraria fiunt habitatione antipodae...] Ultima hujus enuntiati verba varie leguntur in libris; pro *contraria* reperimus in R¹ *contrariata*, in B¹ *contrariaria*, in β *contrariae;* item pro *habitatione* invenimus *habitationes* in βRB¹. Nolo verbosior esse, quam res postulat: scripsit Capella *contrarietate fiunt habitationis antipodae.*

625K.: p. 307, 2 Cum antea natura terris maria dispararet ac tanto [cingi] circuitu firmaret Oceani, montium praedictorum effossis radicibus ... improvisum pelagus in usum impigrae mortalitatis admisit (scil. Hercules).] Satis apertum est, quid Martiano in animo fuerit. Terras credebant veterum imperitiores quasi in orbem natura dispositas fuisse, ita ut regio nostra habitabilis quasi quaedam insula videretur et circumnavigari posset. Melius autem et divino consilio dignius futurum fuisse rebantur, si maria a terris quodammodo elegantius discernerentur neque tam proterve in ipsum humanae habitationis sinum irrumperent. Inde factum est, ut mare internum non divinae providentiae opus fingerent, sed tantum non casu factum, lasciviente viribus Hercule. Sed id quod in majore parte codicum invenitur, *tantum cingi circuitu firmaret Oceani*, Latinum non est, ut recte advertit Dickius. Id tamen, quod ille maluit, *tanto* pro *tantum*, nihil nisi monachalis conjectura est, cum vel in monasteriis nonnulli vidissent epitheto opus esse, ne contra Martiani morem *circuitu* nude poneretur; et vereor ne multo facilius sit verbum *cingi* exterminare, ut Dickio placuit, quam explicare quis quando quo consilio id scripserit. Videor tamen mihi subolfecisse, quodnam fuerit istud epitheton, quod vel Remigii desiderabant. Nam, si parumper rem animo volutes, videbis Oceani circuitum Herculis malitia in eo loco fractum fuisse, cum antea continuus fuisset. Sic igitur refingo: *Cum antea natura terris maria dispararet ac tantum iugi circuitu firmaret Oceani...* Levissima hac mutatione multo meliorem sensum efficies; et *cingi* ex *iugi* ortum esse facilius credam, quam librarium nescioquem *cingi* ex nihilo sibi fabricavisse.

629K.: p. 308, 17 Verum Baetica cunctas ubertate fecunditates [provincias] antevenit.] Ne hic quidem de sensu dubitari potest, sed de verbis ambigitur. Qui Dickii apparatum inspexerit, videbit *provincias* recte ab editore deletum esse, quippe quod in antiquioribus non inveniatur. *fecunditatis* an *fecunditates* in archetypo fuerit, minus facile dispicitur; sed, cum Plinius habeat *cunctas provinciarum*, non dubito equidem, quin *provincias* subaudiendum sit post *cunctas*. Sequitur ut *fecunditatis* melior lectio judicanda sit, praesertim cum clausulam usitatissimam efficiat. Sin reclamaverit quis *ubertate fecunditatis* absurdam tautologiam esse, is meminerit velim cum eo auctore se rem habere, qui hoc ipsum capitulum ita inceperit: "Europae tamen principium inchoamentique limen...", id est, "Europae inchoamentum inchoandique inchoamentum."

632K.: p. 309, 7 At universa provincia habet conventus septem: Carthaginensem, Tarraconensem, Caesaraugustanum, Cluniensem, Asturum, Lucrensem, Bracarum, civitates vero (praeter insulas atque aliis contributas ducentas nonaginta quattuor) tota complexione dinumerat <CLXXVIIII>.] Sic locum constituit Dickius, numerum excidisse ratus; sed potius credo ipsum Martianum erravisse. Plinius (3, 18): "Nunc universa provincia dividitur in conventus septem, Carthaginensem, Tarraconensem, Caesaraugustanum, Cluniensem, Asturum, Lucensem, Bracarum. Accedunt insulae, quarum mentione seposita, civitates provincia ipsa praeter contributas aliis CCXCIII continet oppida CLXXXIX." Nimia festinatione Capella sic intellexit: "... praeter contributas aliis, CCCXCIII continet oppida." Nam cum in clausulam hujusmodi incideris, *tota complexione dinumerat,* certo scis Martianum ad periodi finem venisse. Sane si quis concupiverit auctorem ad veritatis normam omnimodo reducere, ita refingere poterit: *civitates vero (praeter insulas atque aliis contributas CCCXCIII) <CLXXXIX> tota complexione dinumerat.* Sed facile fuit homini negligentius transscribenti sensum loci perperam accipere, ut fecit Capella in eis, quae de Agrippa paulo infra dicit Plinius (3, 16-17: Mart. Cap. p. 309, 16).

641K.: 313, 12 Cetera Italiae memoranda nec poetae tacent, ut Scyllaeum oppidum cum Crateide flumine, quae Scyllae mater fuit, Charybdisque voraginem ac vertiginem tortuosam, Paestana rosaria, scopulos Sirenarum. in Campaniae amoenis antiquitus nemora. Phlegraei dehinc campi habitatioque Circeia Tarracina.]

Nihil hic difficile est praeter ea verba, *in Campaniae amoenis antiquitus nemora.* Nam primum quidem vereor, ut satis Latine dicatur *in Campaniae amoenis* pro eo quod est *in amoenis Campaniae locis.* Adjectiva enim neutro genere posita et substantivorum vicem gerentia aut nominativo aut accusativo casu poni solent, ut neutrius generis esse statim appareat. Sic bene dixeris, "Campaniae amoena me delectant," vel, "Latrante Romae Canicula Campaniae amoena peto;" sed, "In Campaniae amoenis habito," si quis dixerit, eum non sub Romano caelo ortum crediderim. Deinde quaero, quid tam mirum, si in Campania nemora fuere, quasi vero per totam Italiam, immo per omnes fere imperii Romani regiones, non satis superque nemorum fuerit. Iterum quaero, quid sibi velit istud *antiquitus.* Quid enim? Innuitne Martianus priscis temporibus ea nemora in Campania fuisse, sua aetate nescioquo pacto evanuisse? Per se igitur difficillimus est hic locus; verum si cum Solino, quem Martianus hic compilat, conferre velis, nova statim oritur difficultas. Ille enim habet, "amoenissimus Campaniae tractus, Phlegraei campi..." Ita ergo auctorem suum exscripsit noster, ut primam partem vocis *amoenissimus* scriberet, posteriorem partem omitteret.

Paene desperanti mihi succurrerunt nonnulli Martiani codices, inter quos Reich. et Bamb., *numera* pro *nemora* exhibentes. Immo, si Dickii apparatum inspexeris, videbis archetypum certe habuisse *numera,* et nemora illa, quibus tantopere delectati sint Martiani editores, nihil nisi monachi nesciocujus figmentum esse. Et *numera* pro vera lectione *munera* positum censeo; milies enim *numerat* et *munerat, numeris* et *muneris* in libris confunduntur. Sed de quibusnam muneribus agi hoc loco potest? Vide quid Plinius de Campania (3, 60): "Hinc felix illa Campania est; ab hoc sinu incipiunt vitiferi colles et temulentia nobilis; suco per omnes terras incluto, atque (ut veteres dixere) summum Liberi patris cum Cerere certamen." Quem locum si Martianus in animo habuit, fieri potest, ut ita reliquerit:

> ... scopulos sirenarum. hinc campaniae amoenis
> simus tractus celebrataque bacchi et cereris
> antiquitus munera. phlegraei dehinc campi ...

Librarius quidam neglegentior ab *amoenis* in fine versiculi ad *cereris* in fine sequentis transisse putandus est. Scio nonnullos fore, qui supplementum hoc respuant, quasi omnem rei criticae consue-

tudinem transgressum. Sed in omni verborum crisi idem quaestionis genus versatur: 'magisne veri simile putem auctorem sic scripsisse, ut libri habent, an librarium sic erravisse, ut conjectura haec videtur postulare?' Quid ergo credibilius, unum versiculum propter similitudinem verborum in fine positorum excidisse, an Martianum scripsisse *in Campaniae amoenis antiquitus nemora?*

653K.: p. 322, 10 Ab ipsius Isthmi angustiis Hellas incipit, a nostris Graecia dicta.] *graecia* βAΛLB²M, *graeciae* RB¹C. Illud jure postulatur a critico, ut non solum quae sit lectio vera dijudicet, sed etiam unde falsae lectiones ortae sint credibiliter explicet. Et hoc loco, si quis *graecia* pro vera lectione acceperit, in explicando, cur tres libri (quorum duo fidelissimi) *graeciae* exhibeant, misere haerebit. Verum si in archetypo *graeciae* fuit, emendaturientibus sciolis nihil promptius occursurum erat, quam ut *graecia* reponerent. Sed adhuc illud tantum consideramus, utra lectio in alteram facilius abitura fuerit; quaeramus jam, an satis eleganter dicatur *a nostris Graecia dicta*, quod hemistichium heroicum facit. Recte tenes, lector: scripsit Capella *a nostris Graecia edicta,* ut bonam haberat clausulam. Edicendi verbo non semel usus est noster rhythmi causa, ut p. 67, 21 'veteres edixere'; 95, 16 'reclusis edicimus' (nam de longa syllaba *-is* non est cur haesitemus; cf. eodem loco 'appulsis exprimitur' et 'dentes innascitur'); 221, 21 'damnandus sit edicatur'; 227, 12 'error edicitur', locosque quos Dickius ibi laudat. Verba *graecia edicta* male diviserunt librarii, ut supra (p. 45, 14) ex *illa edocet* fecerunt *illae docet,* deinde *ille docet.* Paulo infra (p. 323, 5) invenimus, "Ibi natus rex nomine Graecus, a quo Graecia dicta," nulla lectionis varietate; at ibi quoque legendum suspicor *Graecia edicta.*

651K.: p. 320, 11 Epiros autem incipit a Cerauniis montibus; in qua primi Chaones, a quibus dicta Chaonia. deinde mons Pindus Dryopesque Molossique Dodonaei Iovis fano inclito celebrati. a tergo inter ceteros populos Ponto iunguntur Moesia ac Maedia; Thraces usque ad Pontum.] Qui vel mediocriter vigilans hunc locum legerit, mirabitur, cur Martianus, cum jam Ponto iungi dixerit Moesiam, adiciat Thraces ad Pontum pertinere. Quod si Plinium legas, videbis aliis modis Martianum hic a sanitate deviare. Ille enim sic (4, 2): "Epiros in universum appellata a Cerauniis incipit montibus. In ea primi Chaones, a quibus Chaonia, dein ... Perrhaebi, quorum mons Pindus, ... Molossi apud quos

Dodonaei Iovis templum oraculo illustre ... Epiros ipsa ad Magnesiam Macedoniamque tendens a tergo suo Dassaretas supra dictos, liberam gentem, mox feram Dardanos habet. Dardanis laevo Triballi praetenduntur latere et Moesicae gentes, a fronte iunguntur Medi ac Denseletae, quibus Thraces ad Pontum usque pertinentes.' Videsne Plinium eos dicere a fronte esse, quos Martianus a tergo? Ad Martianum revertamur: notandum est pro miro illo *Ponto* plures et meliores libros habere *ponte*, quod caret sensu. Sed cum apud Martianum *ponte iunguntur*, apud Plinium *a fronte iunguntur* reperiamus, statuendum est a Martiano quoque primitus scriptum fuisse *a fronte iunguntur*, quod jam Dickius recte suspicatus est. Itaque quaedam lux inter tenebras apparere incipit. Forma hujus enuntiati fuerat: *a tergo inter ceteros populos, ... a fronte iunguntur Moesia ac Maedia.* Nomen eorum, qui a tergo erant, scribarum incuria excidit; sed probabiliter suspicari possumus Triballos fuisse. Nam si ita scripsisset noster: ... *inclito celebrati. Triballi a tergo inter ceteros populos; a fronte iunguntur* e.q.s., facillime post *celebrati* potuit excidere *triballi*, quod ex eisdem fere litteris constat.

653K.: p. 322, 12 In ora autem portus cui nomen Scironia saxa.] Doleo Dickium, virum alioquin laboriosissimum, Salmasii annotationes eas tantum notas habuisse, quas Koppius laudaverat. Nam si magni illius viri Exercitationes Plinianas evolvisset, ibi hunc locum correctum invenisset: *In ora autem portus Schoenos, Scironia saxa.* En monachorum scelus! Soli R^1B^1 verae lectionis vestigia habent — *portus cui nos scironia saxa* — , cum in ceteros irrepserit putidum mendacium *cui nomen.* Mirabere, lector, idem quod Salmasio occurrerit, Petersenio in mentem non venisse; sed per Eyssenhardtii neglegentiam lectio *cui nos* in apparatu critico non apparebat. Cetera in hoc capitulo adeo luxata sunt, ut sanari non posse videantur. Quippe sic legebatur totus locus in archetypo: *In ora autem portus cui nos scironia saxa viginti sex longitudine quinque milibus passuum muro recedentibus athenae atque attica fontes ibi multi* e.q.s. Quibus haec Pliniana respondent (4.24): "In ora ... portus Schoenos, oppida Sidous, Cremmyon, Scironia saxa $\overline{\text{VI}}$ longitudine, Gerania, Megara, Eleusin. fuere et Oenoe et Probalinthos. nunc sunt ab Isthmo $\overline{\text{LV}}$ Piraeus et Phalera portus $\overline{\text{V}}$ muro recedentibus Athenis iuncti." Quot oppidorum nomina exciderint, difficile dictu est, cum soleat Martianus ex Pliniana ubertate nonnisi pauca quaedam libare; illud tamen

patet, Piraei mentionem a Martiano factam fuisse, supplementoque non exiguo opus esse, ut sensum loci aliquatenus restituas. Quae Dickius emendandi studio protulit, nemini persuadebunt; nam *Athenis iuncta* pro *Athenae atque* reponere hominis est nihil de scribarum erroribus non credentis.

676K.: p. 336, 11 Summa autem eius pars contermina Aethiopiae multas oppidorum praefecturas habet, quas nomos vocant...] *nomus* R[1], *nom* B[1] (id est *nomus* compendii nota omissa, ut p. 463, 5, ubi R[1] habet *diaboristhenus*, B[1] vero *diaboristhen*), unde colligimus in exemplari eorum fuisse *nomus*. Dixerit quispiam nihil hoc esse nisi librariorum sphalma ex vulgari pronuntiandi more exortum, cujus generis sane multa apud Martiani libros reperimus; sed cum video nostrum p. 321, 18 posuisse *poloe* nominativo plurali, non Latina positione *poli*, potius suspicor *nomus* hoc loco recte se habere. Est enim accusativus Graecus νόμους, quod utrum Graeco an Romano charactere scribendum sit, non digladiabor. Sic etiam Manilius 5, 350 *onus*, id est ὄνους, posuit, ad quem locum doctissima est Housmanni annotatio et diligentissime perpendenda.

688K.: p. 342, 4 Dehinc Ponti ora; post fauces Bospori et amnem Rhesum Sagarimque sinus Mariandyni, in quo Heraclea civitas.] Sic Dickius; pro *sinus* libri omnes praeter LC[1] habent *sinusque*, et pro *Mariandyni* omnes habent *adym, adyn, ady* vel similia monstra verborum. Vix humanum credes, sed opinor hoc loco Martianum ipsum turpius quam librarios erravisse. Nam Solinus (43, 1) sic: "In ora Pontica post Bospori fauces et Rhesum amnem portumque Calpas, Sagaris fluvius ortus in Phrygia dictusque a plerisque Sagarius exordium facit Mariandyni sinus, in quo oppidum Heraclea appositum Lyco flumini." Martianus noster, duplicatis jam lucernis, sic locum intellexit: "Sagaris fluvius ... exordium facit mari; Andyni sinus ..." e.q.s. Itaque sic Martiani verba constituenda opinor: *Dehinc Ponti ora; post fauces Bospori et amnem Rhesum Sagarimque sinus Andyni* ... Per meram enim perseverantiam scripsit librarius *sagarimque sinusque* pro *sagarimque sinus*, ut Macrobii codex Laurent. plut. 51, n. 8 ad *Sat.* 5. 17, 17 Vergilianum versum hoc modo elegantissime exhibet: "Drymoque Xanthoque Ligeaque Phylloque Doceque;" neque multum absimiliter Corippi unicus codex *Johann.* 2, 6: "implenturque vallesque cavae collesque supini." Mira fortasse loqui videbor; sed aut Martianum ita, ut dixi, erravisse necesse est, aut librarium nulla

causa cogente *andyni* pro *mariandyni* scripsisse, quid mihi quidem minus veri simile videtur.

692K.: p. 344, 4 Quippe emensi ibi a Libero dehinc ab Hercule arae sunt constitutae in testimonium laboris immensi.] Quomodo istud *emensi* interpretari debeamus, dispeream si capio; sane si abesset, commodiorem sententiam haberemus. Et cum revera absit in R^1BV, nullam causam video, cur optimorum codicum lectionem spernere debeamus. Sane, si liberiore manu locum refingere liceret, mallem pro *laboris immensi* reponere *orbis emensi*, quod cum Liberi Herculisque fabulis congruit; sed violentior fortasse illa chirurgia.

706K.: p. 351, 24 Omnis mea quae in infinitum propagatur assertio numeris lineisque discernitur, quae nunc corporea, tum incorporea comprobantur. nam unum est, quod animi sola contemplatione conspicimus, aliud quod etiam oculis intuemur. verum prior pars, quae numerorum regulis rationibusque concipitur, germanae meae Arithmeticae deputatur; alia est linearis atque apodictica huius pulveris erudita cognitio...] Sic Dickius, qui vocabulum *apodictica* ex interpolatis codicibus arripuerat; *optica* β^1AΛ^1RB^1V, unde nemo nisi asinus germanus dubitabit *optica* fuisse in archetypo. Eo igitur adducimur, ut quaerendum sit, num ex mera conjectura *optica* respuendum sit, *apodictica* recipiendum. Ut a Martiani ipsius verbis exordiamur, num absurdum censes illam partem opticam vocare, *quam etiam oculis intuemur?* Sin adhuc dubitas, lector, vide quid Gellius sextodecimo Noctium Atticarum: "Pars quaedam geometriae ὀπτική appellatur, quae ad oculos pertinet . . ." Itaque confitendum est, vocem *optica* cum hujus loci sensu optime congruere, neque ullam causam esse, cur quis mutatam velit.

747K.: p. 378, 10 Omnis impar progressus a monade per singulas positiones necessario quadratos efficit; primam ipsam monadem adde triadi; facit quattuor, primum quadratum...] Sic Dickius, libri L^2 lectionem secutus. β^1AΛRB habent *primam ipsam monadem facit quattuor;* in $\beta^2$$A^m$$L^1$$\Lambda^m$$R^m$MV invenimus *primam ipsam monadem adde triadem facit quattuor.* Luce meridiana clarius est, breviorem illam lectionem archetypo acceptam referendam esse, in quo nonnulla verba omissa essent. Sic exple: *primam ipsam mon*<adem sume; adde tri> *adem: facit quattuor.*

752K.: p. 382, 23 Ut re ipsa discreti sunt (sc. numeri), sic etiam vocabulis discernam, ne qua inde legentibus confusio oriatur...] Ipsa loquitur Arithmetica in deorum coetu; et credet quisquam tantam socordiam in Martianum cecidisse, ut de legentibus verbum faceret? Nullus dubito cum Reichenauensi *indiligentibus* legendum esse, ut et Koppius opinatus est.

753K.: p. 384, 4 At XVI fiunt iunctis singulis sedecies, octonis bis, quaternis quater, binis octies...] Ut arabicis numerorum notulis haec exprimamus, $16 = 1 \times 16$ vel 8×2 vel 4×4 vel 2×8. Deinde pergit Martianus: *collati autem in unum I, II, IV, VIII non ultra faciunt quam XV.* Rem quidem satis bene tenemus, sed elegantiam requiro; nam si quis paullo consideratius rem agere voluisset, sic scripturus erat: "At XVI fiunt iunctis singulis sedecies, binis octies, quaternis quater, octonis bis." Etenim ipse Martianus paullo superius: "Et duodecies singula et sexies bina et quater terna et ter quaterna et bis sena duodecim fiunt", ubi debito ordine distributiva *singula, bina, terna* etc. ponit. Quid Martianus scribere debuerit, jam videmus; quaeramus nunc, quid libri habeant. (1) Verba *singulis sedecies* codicibus βA mendacissimis debentur, omittunt R^1B^1V, *sedecies singulis* habent ALR^2B^2M; itaque, cum haec verba in sincerissimis libris omnino non legantur, apud alios diversis modis collocata reperiantur, statuendum mihi videtur, in archetypo ea defuisse. (2) Verba *octonis bis* in βAL reperiuntur, in R^1B^1V desunt, in ceteris post *quater quaternis* leguntur; quare haec quoque verba in archetypo fuisse nego. Quae cum ita sint, eo adducimur, ut putemus archetypum habuisse (id quod R^1B^1V fere exhibent): *at XVI fiunt iunctis octies binis quater quaternis.* Quae misere manca lectio ita oriri potuit: *at XVI fiunt iunct*<is sedecies singul>*is octies binis quater quater*<nis bis octo>*nis.* Hic iterum videmus pristini erroris formam retinuisse B^1R^1V, quem diversis modis resarcire conati sunt aliorum codicum librarii. Lege igitur: *At sedecim fiunt iunctis sedecies singulis, octies binis, quater quaternis, bis octonis.*

756K.: p. 387, 2 Quod est autem inter duos et tres, eadem inter CC et CCC ratio; quae est inter III et IV, haec est inter VI et VIII. manifestum erit, simul atque rationes, quae inter numeros sunt, subiecero.] Mulgeat hircos, qui hac lectione acquiescere possit. Exhibui, ut in Dickiana legitur; Koppius paullo aliter et quidem Latinius: *Quod est autem inter duos et tria, hoc inter ducenta et*

trecenta; ratio quae est inter tria et quattuor, haec est inter sex et octo. Sed tamen, ut aperte ac simpliciter dicam, boni illi viri sensum totius loci omnino non ceperunt. Fave parumper, lector, dum verborum memoriam diligentius scrutamur. Primo quidem invenimus, verba *eadem inter* in uno tantum libro legi (Leidensi saeculi decimi, ut dicunt), a ceteris omitti; deinde agnoscere cogimur, pro verbis *haec est inter* majorem librorum partem habere nihil nisi *et* (sic A^1LRBMV; similiter β, nisi quod verba sequentia *VI et* omittit). Itaque, si quaeratur, quomodo hic locus in archetypo exhibitus fuerit, sic respondere poterimus: *Quod est autem inter II et III CC et CCC ratio quae est inter III et IV et VI et VIII manifestum erit simul atque rationes quae inter numeros sunt subiecero.* Nunc demum, quasi stercore monastico egesto, locum satis bene purgare possumus. Scripsit Martianus: *Quae est autem inter II et III, CC et CCC ratio, quae<que> est inter III et IV et VI et VIII manifestum erit simul atque rationes, quae inter numeros sunt, subiecero.* Id enim dicit noster, mox se insinuaturum, quaenam illa ratio sit, quae inter duos et tres vel inter ducentos et trecentos intercedit; et minime Punica fide dictis mansurus est 761K.: p. 390, 19: "Superdimidii rationem habent tres ad duos, CCC ad CC, quorum supra facta mentio est; contra subdimidii duo ad tres, CC ad CCC. At supertertii IV ad III, VIII ad VI, qui ipsi quoque supra positi sunt."

774K.: p. 400, 20 Tum quisquis ex his numeris, qui per se incompositi sunt, iungitur cum altero numero, quamvis per se composito, efficit, ut ii duo numeri inter se incompositi sint, ut si III ad IV iungantur. quid enim interest, an alteri mensura aliqua pars praeter singularitatem sit, si alteri non est?] Sic Dickius, Petersenium secutus, cum in prioribus editionibus nullus omnino sensus ultimo enuntiato inesset. Sed nondum omnia hic adamussim explanata aestimo. Nam primo quidem non satis accurate Petersenii emendationem Dickius rettulit; quippe voluit ille: *quid enim interest, an alteri mensura aliqua praeter singularitatem sit* etc. Nam cum in R^1B^1 legatur *mensura aliqua par et eadem singularitate,* elegantissime Peters. ex vocibus *par et* praepositionem *praeter* revocavit; itaque subfatue Dickius vocem illam *pars,* quae nihil nisi monachalis conjectura est, adhuc retinebat. Sed et alia minutissima correctura restat; quaero enim, quid in voce *eadem* tantopere displicuerit, ut foras extrudi deberet. Nam paullo superius (p. 400,

15) dixerat Felix noster: "Neque enim possunt aliquam communem mensuram praeter singularitatem habere, qui ne propriam quidem ullam habent;" unde non absurdum est, si de hoc loco de *eadem* singularitate loquitur. Legendum igitur: *Quid enim interest, an alteri mensura aliqua praeter eandem singularitatem sit, si alteri non est* ?

792K.: p. 415, 2 ... totiens alius numerus alium metietur.] Sic Dickius, libros LB³ secutus; ceteri habent *totiens alius numerus metietur*, quam archetypi lectionem fuisse nemo dubitabit. Monachis difficilem visum esse hunc locum ex Vossiano cognoscas, ubi 'scil. alium numerum' superscriptum est; ex qua interpretandi difficultate orta est ea conjectura, quam Dickius incaute amplexus est. Illud vero restat, ut sensum loci quodammodo elegantius divinando expleamus, nam cur *alium* exciderit, nulla profecto causa est. Non hercle arduum est; videbit enim quisquis oculos habet Martianum scripsisse *totiens alium alius numerus metietur;* unde parata jam erat fovea, in quam librarii inciderent.

795K.: p. 415, 17 proportionis] *portionis* βAR¹B¹V; 416, 15 proportionis] *portionis* βARB¹MV; 417, 7 proportionis] *portionis* omnes praeter B²; 417, 9 proportione] *portione* omnes praeter B²; 418, 5 proportionis] *portionis* βARB¹MV; 418, 8 proportionis] *portionis* βARB¹; 418, 9 proportio] *portio* AR¹B¹V; 418, 12 proportione] *portione* β¹AR¹B¹. Ut summatim dicam, omnibus his locis legebatur *portio* etc. in archetypo; neque ulla causa est, cur mutare velimus.

807K.: p. 426, 10 Tam tristibus asperisque Saturae alioquin lepidulae verberibus demulcatus, cum excusamentis admissi velut procacis involutus, tandem, quae puellarum intromittenda pararetur, inquiro.] *involutus* β²AΛ²LB², *involutis* β¹, *involvuntur* Λ¹R²MV, *involvur* R¹B¹. Legendum censeo *involvor*, quod si fecerimus, bonum sensum bonamque clausulam statim habebimus. Error ex vulgari pronuntiandi more exortus est, qualia multa jam vidimus; librarii deinde, cum *involvur* Latinum non esse scirent, emendare temptaverunt, sed infeliciter. Sane pro *cum* elegantius poneretur *dum*, sed sic loqui solet noster, ut 110K.: p. 47, 4 'cum talia virgo componit'.

839K.: p. 441, 6 Denique Chelas, quam Libram dicimus, quidam dixere Grai. horum ergo signorum duodecim nomina,

quod vulgo nota sunt, praetermitto.] Vae mihi, quonam abiit Martiani elegantia? Quam insulsa est ea repetitio *dicimus... quidam dixere!* Quid? non succurrebant Punica illa synonyma *vocitamus, appellamus, asserimus, insinuamus, non tacemus?* Verum illud quam mirum est, quod, cum optima clausula *dixere Graiorum* quasi ad manum jaceret, maluit nulla rhythmi suavitate *dixere Grai* ponere! Sed bono animo sis, lector; nam ab his incuriae criminibus Capellam nostrum mox purgabimus. Verbum quod est *dicimus* omittunt $A^1\Lambda^1LRB^1MV$; pro *grai horum* invenimus *graviorum* in R^1B^1, *graiorum* in LV, *graiorum horum* in Λ. Lege igitur: *Denique Chelas, quam Libram, quidam dixere Graiorum.* Id enim librarios fefellit, quod *quam* pro *potius quam* hoc loco positum esse non advertebant.

842K.: p. 442, 23 Scorpione autem nascente occidunt Andromedae [pars] reliqua, item Cephei pars, quae extra septentrionalem circulum posita, et Cassiepeiae et Orionis pars.] Vocabulum *pars*, quod uncis inclusi, omittunt LR^2B. Recte, nam Andromedae reliqua sunt Ἀνδρομέδης τὰ λοιπά. Similis locutio p. 442, 10 *Coronae reliqua conteguntur,* si modo ea vera lectio est, nam libri praeter βA habent *Coronae reliquiae conteguntur.* Magis placet vulgata lectio *reliqua,* sed in toto hoc loco varietatem sermonis tam anxie sectatur noster (442, 10 *Coronae reliquiae* vel *reliqua;* 15 *Eridani pars ultima;* 19 *Pegasi et Cygni reliquae portiones;* 21 *Hydri reliquum;* 18 *Centauri pars reliqua*), ut inter tot synonyma ne reliquias quidem illas omnino spernere audeam. Ceterum notandum, quam mala fide libri $\beta^2\Lambda^2$ pro *occidunt* reposuerint *occidit,* scilicet ut cum falsa lectione *pars reliqua* quadraret. Deinde illud quam praeposterum est, ex libris mendacio inquinatissimis βAB^2 *Cassiepeiae* legere, cum in sincerioribus *Cassiepeia* inveniatur! Nam si de Cassiepeiae parte aliqua hic locutus esset Martianus, de altera parte alicubi loqui necesse fuerat; sed de altera Cassiepeiae parte ne frit quidem. Vide etiam quid Hyginus in synanatolis: "(Scorpione nascente) occidit etiam Cepheus capite ad umeros, quae pars est extra arcticum circulum constituta; obscuratur etiam Cassiepeia resupina occidens;" et Aratus interprete Cicerone: "Cum vero vis est vehemens exorta Nepai... labitur illa simul gnatam lacrimosa requirens Cassiepeia." Fortassean addendum sit absurdissimam illam lectionem *Centauri pars equina reliqua,* quam Dickius p. 443, 15 amplexus est, omnimodo respuendam esse, quippe

quae in solo L¹ reperiatur et rei veritati repugnet. Hyginus enim *astr.* 4, 12: "(Aquario oriente) Centaurus a cauda ad umeros virilis corporis occidit", id est *Centauri pars equina;* deinde, "Piscibus exorientibus occidit reliquum Hydrae corpus et ipse Centaurus." *Ipse Centaurus* est pars Centauri humana; *pars equina reliqua* nulla esse potest, cum jam pars equina occiderit.

844K.: p. 444, 11 Virgo oritur horis duabus et dimidia et sexta parte horae, occiditque hora et tertia parte. at Scorpius diminuit ortum et auget occasum...] Sic Dickius legendum aestimavit, sed quibus exagitatus colubris, sane nescio. Libri ΛLRBMV sic habent: *Virgo oritur horis duabus et dimidia et sexta parte horae, similiterque Libra, occiduntque hora et tertia parte. At Scorpius...* Nihil in hac lectione improbare possis. Cur enim, cum de ceteris signis loqueretur, de una Libra omnino taceret Martianus? Et certe eodem temporis spatio Virgo et Libra oriri et occidere dici possunt, quae eodem intervallo (id est sex signorum spatio) a primo Arietis puncto distent. Sed hoc loco, ut saepe alibi, nimium credebat Dickius Bernensi Leidensique suis, qui verba *similiterque Libra* omittunt, pro *occiduntque* habent *occiditque*, et post *tertia parte* demum addunt *similiter Libra.* Attentum lectorem non effugerit, libros illis duobus mendaciores vix reperiri.

848K.: p. 446, 16 hac quaestione consummata] Sic βAR²B²M, *summata* B¹, *summota* ΛLR¹V. Jubet clausulae ratio, ut putemus Martianum *summota* scripsisse, et *consummata* ex conjectura ortum esse, cum in nonnullis simplici errore *summata* scriptum esset. Recte Peters. p. 30: "quaestio objecta solvendo non consummatur, sed summovetur."

850K.: p. 448, 8 non planetas, sed planontas, sicut Aratus asserit, memorabo.] Sic Dickius aliique, sed Arati locus non invenitur. *strator* R¹B¹, *arator* βAR²MV, poeta monachis non ignotus, *aratus* ΛLB² non incongrua conjectura. Nihil se offert melius, quam cum Grotio *Straton* legere, unde unius litterae mutatione nomen idoneum nanciscimur.

854K.: p. 449, 24 Item haec lumina vicibus obscurantur.] Sic Dickius ex libris βA²L²B² inquinatissimis; sed in RB¹ est *item haec lumina vicibus obscurantium.* Nemo, qui rem vel mediocriter perpenderit, non videbit legendum esse *item haec lumina*

vicibus obscur<antur occult>antium, quod tantum non recte restituerunt L^1R^mMV, *vicibus obscurantium occultantur* legentes.

857K.: p. 451, 1 a quo quidem uno signo et parte dimidia Mercurius Venusque disparatur.] Sic Monacensis 14729; pro *Mercurius Venusque disparatur* invenimus *Mercurius disparatur* in $\Lambda^2LR^1B^1V$, *Venus disparatur* in $\beta A\Lambda^1R^2B^2$. Recte notat Dickius, "excidisse videtur *XLVI partibus*", quod cum nemo, qui cor habeat, dubitare possit, in proclivi est totum locum restituere: *a quo quidem uno signo et parte dimidia Mercurius, <Venus vero XLVI partibus> disparatur.* Ea enim verba, quae uncis inclusa exhibui, propter homoeoteleuton omissa, in libris interpolatis male suppleta sunt.

860K.: p. 453, 6 Si ergo ipsa Luna maior sexies terra, sescenties circulus eius [maior Luna], vides lunarem circulum centies maiorem esse tellure.] Verba ea, quae uncis inclusi, omittunt AR^1B^1V rectissime. Graece sic vertere possis: εἰ δὲ τῆς σελήνης ἡ μὲν γῆ ἑξάκις μείζων, ὁ δὲ κύκλος αὐτῆς ἑξακοσιάκις etc.

861K.: p. 454, 10 tricesies ter milies et sescenties] *tricesies* quid sit, nescio; nam τριακοσιάκις Latine est *trecenties*, et τριακοντάκις, quod sensus postulat, est *tricies*. Libri habent *tricies*; non amplius disputandum puto.

863K.: p. 455, 3 Circuit enim eius (scil. Lunae) globum undiquesecus Solis nitor et ei parti, quam totam tunc aspicit, lumen indulget, cuius luminis radii in terras quoque lucubrantiores perveniunt, ut si quis ex speculo lumine repercusso effigiem lucis excipiat.] *lucubrantiores* B^2, *lucubrandiores* $\beta A\Lambda^2L^1M$, *lucublandiores* Λ^2L^2, *lugubrandiores* R^2, quae omnia nimis monstrosa sunt. In R^1B^1 invenimus *lucubrandiore*, quod haud multo melius dixeris. Sed cum syllabis *-iore perveniunt* clausula usitatissima efficiatur, cumque ea lectio sincerissimorum codicum fide nitatur, inde viam emendandi ingrediendam esse non dubito. Sub litteris *lucubrandiore* latere videntur nomen aliquod et epitheton ablativo casu posita. Vix dubitandum puto de *luce* hic agi, sed de adjectivo incertus haereo. Primum quidem mihi placuit *luce blandiore*, id est gratiore, non ardenti et torrida, qualis est lux Solis: sic enim Hyginus *astr.* 4, 14 — "Neque enim tam magnus ardor eius (scil. Lunae) est, ut officiat oculis nostris;" in quam sententiam et noster 77K.: p. 35, 13: "quem iuxta Luna leni quodam teneroque vultu ex

fraterna fulgorem lampade resumebat." Sed cum nescioquid puerile in ea emendatione perspicere mihi viderer, malle coeperam *luce vibrantiore*, qualibus verbis mirifice delectatur Capella noster, praesertim cum de stellarum luce agitur: p. 20, 13 'in sidus vibrabile astrumque convertitur'; 24, 12 'de quodam purgatioris vibratorisque luminis loco allapsa'; 29, 15 'in aulam caelitem convibrantibus venere sideribus'; 30, 19 'crebri vibratus ignium'; 31, 7 'ceraunorum vibrans fulgoransque lumen'; 34, 11 'vibrantes radiorum fulgoribus'; 39, 17 'vibrata sidera'; 47, 2 'revibratu mensis'; 70, 4 'conspicatur globosum quoddam tenerumque corpus ex superni roris levitate compactum instar speculi praenitentis adiaculati fulgoris radios revibrare'; 75, 8 'effulgentibus blandisque vibratum candoribus'; 76, 8 'axem ex caeli summitate vibratum': quae omnia exempla ex prioribus duobus libris desumpta sunt. Inter blandam lucem et vibrantem lucem tu, lector candide, dijudicabis, nisi forte melius aliquid habes, quod huic loco medelam denique afferat.

877K.: p. 463, 5 Diaboristhenis] Sic β, *diaboristhenes* fere ceteri, sed *diaboristhenus* R¹, *diaboristhen* B¹ (id est *diaboristhenus* compendio, quo *-us* notabatur, omisso), quibus nunc accedit Vossiani testimonium *diaboristenus* exhibentis. Recte R¹, quippe *boristhenus* est genetivus Graecus Βορυσθένους. Quid habeant libri pro *Diaborysthenis* p. 462, 13 ex Dickii apparatu non adamussim discere licet, sed illic quoque suspicor Martianum *Diaborysthenus* scripsisse.

897K.: p. 475, 4 propinquante confinio noctis] Sic βΑΛR²B²MV; *propinquante confiniique nocte* R¹B¹. Dempta una litterula legendum est *propinquante confinique nocte*.

928K.: p. 493, 20 In Lydia Nympharum insulas dici, quas etiam recentior asserentium Varro se vidisse testatur, quae in medium stagnum a continenti procedentes, cantu tibiarum primo in circulum motae, dehinc ad litora revertuntur.] *revertentur* R¹B¹V, unde suspicor Martianum scripsisse *reverterentur* (cf. p. 5, 10 loquerentur] *loquentur* R¹; 47, 17 gereretur] *geretur* Λ¹L¹), praesertim cum ipsa temporum consecutio praeteritum tempus, oratio obliqua conjunctivum modum flagitare videantur.

930K.: 494, 18 Dieseos vero distantiae tres sunt; nam prima brevior ..., secunda ab illa maior ..., tertia vero e.q.s.] *dieseos* Dickius ex Λ² amplexus est nimis cupide; *diesis* ceteri, nisi quod

RB[1] habent *diesen*. Vix opus est verbis, lector, nam statim videbis Martianum posuisse *dieseon*, quod et sensus postulat et antiquae lectionis vestigia indicant.

Et haec quidem sunt, lector benevole, quae ad Martianum emaculandum ex libris Reichenauensi Bambergensique, accedentibus nonnumquam aliorum testimoniis, hactenus haurire mihi contigit. Multa tamen ulcera restant vel sananda vel insanabilia, quod nemo negabit, qui totum opus vigilanti oculo perlegerit. Exemplo sit nobis par. 765K., ubi saepe ac diu cogitans omnia adhuc confusa et nihil significantia invenio. Sunt tamen nonnulla, quae jam in archetypo corrupta conjecturae ope in integrum restituisse mihi videor; quae, nisi vehementer jam taedet, libenter proferam.

36K.: p. 25, 3 Addo quod celebrat mirabile praestigium elegantiam pingendi, cum vivos etiam vultus aeris aut marmoris signifex animator inspirat.] Non pingit, qui vultus aere vel marmore repraesentat. Hoc vidit Petersenius solita sagacitate, unde pro *pingendi* reponebat *fingendi*. Quem cum emendantem vidisset bonus noster Dickius, ne ipse desidiae deditus nihil agere videretur, *praestigium pingendi* posuit, deleta voce *elegantiam*. Egregium sane medicum, qui, cum dextram tibi auriculam dolere dixeris, sinistram statim praecidat! Sed tamen Dickium veritatis aliquam scintillam vidisse aestimo; nam nullus dubito perversam hanc lectionem ex glossatoris industria natam esse. Scripserat Martianus: ... *celebrat mirabile praestigium, cum vivos etiam vultus* etc. Verba *elegantiam pingendi* addidit semibarbarus scriba, cum Tiresiam se vel Oedipodem putaret, qui aenigma illud solvisset, quodnam esset id praestigium. Verba insulsa in contextum irrepsisse non est quod multum miremur, cum videamus titulos illos *DE SYLLOGISMO* etc. e marginibus in verborum contextum saepe acceptos esse.

346K.: p. 159, 12 Sciamus tamen et singulas perfectas esse <debere> divisiones, et omnes in singulis inveniri.] *debere* supplevit Dickius perquam inepte. Loquitur enim Martianus de divisionibus jam supra factis, i.e. animalis in sexus, in aetates, in quantitates etc., quas satis recte perfectas esse nunc dicit. Perfecta est enim divisio, si in eo genere, de quo agitur, nullum individuum omiseris, nullum bis numeraveris. Sic enim, si hominum genus in Britannos, Batavos,

Gallos divisisses, imperfecta esset divisio, quod Hispanos et Theotiscos etc. praetermisisses; si vero in Theotiscos et indoctos, item imperfecta esset divisio, quod potest aliquis homo et Theotiscus et indoctus esse, licet raro id accidat. Sed in divisionibus, quas Martianus supra fecit, haec vitia non deprehenduntur, ideoque perfectae dicendae sunt. Non diffitebor tamen aliquid mihi quoque deesse videri, quod scribarum incuria facillime excidere potuit. Legendum enim suspicor: *Sciamus tamen et singulas* <*has*> *perfectas esse divisiones.*

387K.: p. 183, 7 Quartum genus oppositorum et aientia et negantia, ut 'Cicero disputat', 'Cicero non disputat'.] Primo quidem est corrigendum operarum sphalma, quo *et* pro *est* imprimi fecerunt; deinde cum tribus aliis locis hic est conferendus. (1) p. 180, 6 "Opponuntur autem sibi ita, ut aut <ut> relativa opponantur ..., aut ut contraria ..., aut ut aientia negationi, ut 'Cicero disputat', 'Cicero non disputat'. (2) p. 187, 14 "Nam de aientia et negatione quaestio sine dubio nascitur." (3) p. 187, 19 "Hoc enim ex aientia et negatione natum est." Nemo, opinor, jam dubitabit Martianum posuisse *quartum genus oppositorum est aientia et negatio,* quod librarii notissimo erroris genere in *aientia et negantia* corrupere.

461K.: p. 228, 20 In qualitate vero vel fine alio loco quam status apparet necesse est confessa depulsio facti habeat rationem, quam item accusator infirmet, et velut secundaria quaestio procreatur per confirmationem impugnationemque rationis. hic illud iudicabile posse versari idque esse quod aestimator iusti ratione perpendat, posse in quavis causa et omnis status existere. et multae rationes informationesque numerosae perindeque iudicationum semina copiosa, cum unum videlicet factum multiplici ratione defenditur...] Misere turbata sunt haec omnia non tam librariorum culpa quam editorum, qui cohaerentia divulserint. Sed primum videamus, in quibus locis interpretes haeserint. *Confessa depulsio facti* Eyssenhardtio displicuit, nec immerito, nam depulsionem confiteri nemo potest; itaque *confessa* delere voluit. Sed Dickio quodammodo ferenda visa est ea locutio; quippe notat, "*confessa depulsio facti* idem significare videtur atque *confessi depulsio facti.*" Inter utrumque volandum censeo, ita ut neque cum Eyssenhardtio *confessa* deleamus neque cum Dickio ita, ut scriptum est, tueamur: non enim dubito legendum esse *confessi depulsio facti,* nam saepissime ita peccabant librarii, ut epitheta ad nomina proxime posita

accommodarent. Sic olim p. 330, 12 admonebam legendum esse *Atlantici litus oceani* pro *Atlanticum litus oceani*. Sensum loci satis bene explicat Dickius in annotatione critica; nam Koppii interpretatio nihil est nisi inanes verborum ambages.

Notanda est quaedam lectionis diversitas p. 229, 2 *confirmationem impugnationemque rationis* (sic Dickius ex ΑΜ), ubi βALRBV habent *rationem impugnationemque rationis*, quod Kopp. et Eyss. amplexi sunt. In archetypo fuisse non *confirmationem* sed *rationem* luce meridiana clarius elucet; cumque inferius inveniamus *multae rationes infirmationesque numerosae*, non equidem e Marastoniano quodam poculo eum bibisse existimabo, qui archetypi lectionem servare velit.

Ad perplexiora veniendum. Eyssenhardtius quidem, cum ad arma incitatior prosiluisset, sic emendavit: *hic illud iudicabile potest versari, idque est quod* etc.; nam unde penderent illi infinitivi, neque ille vidit neque ego videre possum. Dickius vero *posse* et *esse* retinere maluit, adjecto tamen in notis, "totum enuntiatum adhuc corruptum est." Jam consideremus paulisper, lector. Si infinitivos in indicativos mutare velimus, explicare debebimus et quomodo factum sit, ut pro *potest* et *est* librarii posuerint *posse* et *esse*, et quo jure *perpendat* modo conjunctivo ponatur; sin retinere constituemus, dicendum erit, quo verbo (vel aperte expresso vel subaudiendo) ea verba regi videantur. Neutrum horum facile videtur; sed, si verbum idoneum divinando suppleverimus, ex hoc dilemmate melius nos expediemus. Legendum igitur suadeo: *Hic illud <videmus> iudicabile posse versari idque esse* etc. Nam cum *vid-* et *iud-* in libris manuscriptis vix dijudicari possint, facile potuit librarius a prima syllaba τοῦ *videmus* ad primam τοῦ *iudicabile* statim transire. Primam personam aliquoties adhibet Martianus in hoc libro, ut 220, 6 *debemus;* 221, 2 *attendimus;* 221, 19 *ne ... intendamus;* 227, 7 *purgamus ... demovemus;* 230, 21 *colligimus;* 231, 25 *videamus;* 235, 13 *monstramus* etc.

Nunc ad illud venimus, quod editorum culpa turbatum dixi. Nam qui factum esse dicam, ut nemo his quingentis annis viderit, verba *posse in quavis ... status existere* non praecedentibus sed insequentibus jungenda esse? Sane una minuscula adhuc correctura indigemus; legendum quippe *possunt* (*posst̄*) pro *posse*, quod sphalma librario facillimum fuit, praesertim praecedente infinitivo *posse*. Totus locus sic igitur exhiberi debet: *In qualitate vero vel fine alio loco, quam status apparet, necesse est confessi depulsio facti*

habeat rationem, quam item accusator infirmet; et velut secundaria quaestio, procreatur per rationem impugnationemque rationis. Hic illud <videmus> iudicabile posse versari, idque esse, quod aestimator iusti ratione perpendat. Possunt in quavis causa et omnes status existere et multae rationes infirmationesque numerosae e.q.s.

593K.: p. 293, 21 At cum Arctoa conversio supra verticem volvatur Hesperiae, apud Trogodytas Aegyptumque confinem ignoto occultoque sidere *nescitur;* cum Canopum ac Berenices crinem ... Scythia Galliaque atque ipsa prorsum non *cernat* Italia, cum illae Antarcticis terris conspicuae ac praenitentes et velut perpendiculatae capitibus *suspectentur;* in Alexandria etiam Canopos quarta parte interstitii signilis ultra terras *emineat,* Trionesque geminos ut devexa non *cernat*; cum in Arabia Novembri mense sub noctis auspicio Helice non conspecta secunda vigilia *prospectetur,* in Meroe solstitio tantum exiguaque brevitate *conspicitur,* ubi circa ortum Arcturi cum die nascitur, quae item in India Patalitano portu prima tantum parte noctis aspicitur, in qua etiam in Maleo monte quindecim tantum diebus annuis videtur — quis igitur dubitet et globi devexioris opposit u alia inconspicua fieri atque alia velut sphaerae curvationibus eminere?] Sensus hujus loci satis apertus est, sed syntaxis multis modis displicet. Videbit, quisquis inspiciet, verborum modos inter indicativum et conjunctivum quasi fluctuari; quod ut facilius perspiciatur, litteris cursivis verba imprimenda curavi. Primo quidem nemo non videbit illud *nescitur* totius loci sensui repugnare; non enim hoc dicit Martianus, "Quo tempore Itali septentriones vident, eo tempore Aegyptii non vident," sed potius, "Quandoquidem Septentriones nos videmus, Aegyptii autem non vident, contra nobis Canopus ignotus est, illis maxime conspicuus etc., his de causis nemo dubitet terram rotundam esse." Igitur pro *nescitur* reponendum est *nesciatur,* quod simul efficiet clausulam Martiano usitatiorem. Cetera satis bene procedunt usque ad illud *brevitate conspicitur,* quod omnino nequit ferri, praecedente conjunctivo *prospectetur,* cum duo istaec verba a conjunctione *cum* aeque dependeant. Sed si quis *conspiciatur* malit, statim repugnabit rhythmus; itaque eo potius adducor, ut putem pronomen relativum excidisse, legendumque esse: ... *secunda vigilia prospectetur, <quae> in Meroe* etc. *Nascitur, aspicitur, videtur* recte posita esse statim perspicimus.

Sed antequam hunc locum relinquamus, duo sunt, quae Dickius

minus recte exhibere videtur. Primo quidem sine causa editores vocabulum *signilis* exturbavere, quod neque sensui hujus loci neque analogiae linguae Latinae repugnet: immo apud titulos Manilianis carminibus interspersos invenimus "signiliter et partiliter," id est κατὰ μοίρας καὶ κατὰ ζῴδια. Deinde *dubitet et globi* satis putide dicitur, cum nihil sit, quo prospiciat illud *et*. Nihil manifestius, quam *dubitet et* pro *dubitet* per dittographiam, quam dicunt, positum esse; recte igitur omittebat Vulcanius in editione an. 1577.

607K.: p. 299, 24 Cum autem solstitii properantia peragendi per eosdem (scil. in zona perusta habitantes) transeat et iam in brumam itidem sol revertens similiter per illos iter ducat et procul ab his utrinque secedat, dubium non est quin bis hiemem et secundo patiantur aestatem.] Sensum fere teneo, sed Latinitatem desidero. Quid enim est *solstitii properantia peragendi?* Nam neque ipsum solstitium aut properare aut peragere aliquid recte dici potest; neque solem recte dicas peragere solstitium, cum solstitium punctum sit, et soleamus cursum peragere, spatium peragere, nunquam vero punctum, quod sine magnitudine sit, peragere. Si quis magis perspicue, minus Africiter idem exprimere voluisset, sic (opinor) scripturus erat: "Cum autem sol et in aestivum solstitium pergens et in hiemale iterum revertens per zonam hanc perustam transeat, incolae ejus bis in anno hiemem et aestatem sentire putandi sunt." Itaque non solstitium properat, sed sol properat in solstitium; unde fieri potest, ut scripserit Capella: *Cum autem solis in aestivum properantia pergendi per eosdem transeat*... Sane possis hanc emendandi rationem ita respuere, ut neges locum ullum unquam sensum habuisse — nam veritatem astronomicam ab eo vix requiras, qui signa septentrionalia sex mensibus videri illis, qui sub arctico polo habitant, sex item non videri autumat (608K.) — sed si mavis Martianum vel mediocriter intellexisse quid scriberet, mecum emendare males.

609K.: p. 300, 18 Quarum regionum habitus prodidit doctissimus Pytheas, sed ego ipsa (scil. Geometria) peragravi, nequa mihi ignota videretur portio superesse telluris.] Optime mehercle Dickius *Pytheas* pro *Pythagoras* reposuit. Facinus sollenne hoc erat claustralis ignorantiae, ut nomina notissima pro minus notis reponerent, ut Lucretium pro Lucilio, Carneadem pro Charmada, Socraten pro Isocrate, denique Polyphemum pro Phemio diversis locis

apud scriptores Latinos. Sed vereor ne una adhuc minuscula lateat corruptela. Legendum enim: ... *prodidit doctissimus Pytheas, sed <et> ipsa peragravi;* nam nisi illud *et* addideris, videbitur Geometria innuere prodidisse tantum Pytheam, non peragravisse, quod sensui hujus loci plane alienum esset.

621K.: p. 305, 20 Idem Cornelius post captos Indos per Germaniam navigavit.] Recte hunc locum obelo notavit Dickius. Nam cetera, quae Martianus adducit, ut demonstret Oceanum ex omni parte navigari posse, satis recte ex Plinio mutuatus videtur, perpaucis omissis; itaque vix putandus est in hoc tantum loco ea brevitate usus esse, ut omnis sensus evanesceret. Absurdum quippe erat, de Cornelio Nepote per Germaniam navigante loqui, cum per Germaniam navigare nemo possit, cum ipse Cornelius nusquam navigaverit, denique cum omnis sermo hic sit de iis, qui per Oceanum navigaverint. Divinare quidem, quid Martianus scripserit, equidem non possum, sed propterea haec dicenda existimavi, quod a nonnullis hunc locum ita acceptum esse video, quasi egregiam Martiani socordiam monstraret. Revera tamen misere mutilus atque mancus locus edocet, quantis vulneribus laboret verborum memoria.

626K.: p. 307, 12 Europam tamen terminari Propontidis faucibus dixere quamplurimi, quae Propontis per angusta descendens ad Maeotidem quoque perfertur.] Quovis pignore contendam Capellam non ita scripsisse. Quis enim veterum nesciebat lacum Maeotidem in septentrionalibus Euxini partibus esse? Sed si Propontis *descendens per angusta* eo perfertur, sequitur, ut Maeotidem in mari Mediterraneo constituere debeamus. Mirum et illud *quoque.* Quid enim ais, mi Martiane? Ad Maeotidem *quoque* perferri dixisti, sed quonam praeterea perferatur, oblitus es dicere. Lucem quandam offundit huic loco Solinus (23, 15): "Quae aquarum moles (scil. mare Creticum) anfractibus magnis iuxta Graeciam et Illyricum per Hellespontum in angustias stringitur Propontidos; quae Propontis Europam Asiamque discriminans ad Maeotidem pervenit." Haec qui perpenderit, non jam dubitabit, quid a Martiano primitus scriptum fuerit: *quae Propontis post angusta discedens ad Maeotidem usque perfertur.* Nam *per* et *post* compendiose scripta a librariis passim confundebantur; *discedo* et *descendo* sescenties inter se commutata vidi (immo hoc ipso loco *discendens* habent B^2M); denique, si pro absurdo illo *quoque* reponas *usque,* non

solum sensui medicinam afferes, sed clausulam Martiano adamatam conficies.

629K.: p. 308, 14 In eius quoque confinio equarum fetura ventis maritantibus inolescit, volucres proli cursus ipso spirante Favonio.] Dickius locum ita interpunctum vult:... *maritantibus inolescit. volucres proli cursus ipso spirante Favonio.* Sed hoc absurdum est; significat enim, "Tum proli volucres cursus sunt, cum Favonius spirat," quod certe numquam dicere voluit Martianus. Non dubito legendum esse *aspirante Favonio*, quod et Solinus habet.

633K.: p. 310, 3 ... nam paulatim diffusior adicit in latitudinis excrementum.] Nullum habent sensum istaec verba. Plinius (3, 29): "Paulatim deinde se pandens, qua contingit ulteriorem Hispaniam tantundem et amplius latitudini adicit." Fortasse apud Martianum legendum *paulatim inde diffusior;* nam si vulgari loquendi more *diffusus* et *defusus* confunderentur, facile fuerat *paulatīdefusior* pro *paulatīīdedefusior* per haplographiam quam dicunt festinanter exscribere. Sed ne sic quidem locus satis sanus videtur, nam verbum illud *adicit* nihil habet, quod regat; et si quis velit *abit* reponere, Pliniano loco resipere cogetur, nam nemo credet Martiani librarios per merum errorem in id ipsum verbum incidisse, quo Plinius usus erat. Sane velim *tantundem* infercire, modo possem intelligere, quonam loco et qua de causa excidisset. Vereor equidem, ne plura verba omissa sint, nam ut rem, quae hic agitur, decenter expedires, dicendum erat Citeriorem Hispaniam latiorem ibi esse, qua Ulteriorem contingeret, de qua Martianus οὐδὲ γρῦ. Certe si ita primitus scriptum esset — *nam paulatim inde diffusior, tantundem et amplius, qua confinis est Hispania Ulterior, adicit in latitudinis excrementum,* et haberes quasi in speculo Plinii verba, et intelligere posses, quomodo vocabula nonnulla excidere potuissent. Sed haec omnino incerta esse si quis obiciat, non equidem negaverim.

635K.: p. 310, 19 Provincia (scil. Gallia Narbonensis) viris, oppidis, frugibus memoranda.] De hac provincia Plinius (3, 31) sic: 'Agrorum cultu, virorum morumque dignatione, amplitudine opum nulli provinciarum postferenda," et paulo infra, "Oppida Illiberis, magnae quondam urbis tenue vestigium ..., oppida de cetero rara praeiacentibus stagnis." Et Solinus (21, 1): "Galliae... praepinguibus glebis accommodae proventibus fructuariis, pleraeque consitae vitibus et arbustis, omni ad usum animantium fetu

beatissimae, riguae aquis fluminum et fontium, sed fontaneis interdum sacris et vaporantibus." De oppidis Solinus tacet, Plinius parva et rara esse docet; de opum amplitudine uterque copiosissime. Restat igitur, ut pro *oppidis*, quod habent omnes codices manuscripti, cum editore principe *opibus* reponamus. Elegantissimam emendationem Dickio displicuisse demiror, cum vel Koppio placuisset, homini in defendendis naeniis exercitatissimo.

639K.: p. 312, 12 A solo igitur Italico Liburnia Istriave discretae sunt centenis milibus passuum [quod] ab Epiro et Illyrico quinquaginta, ab Africa intra ducenta milia, ut Varro commemorat, ab Sardinia centum viginti, a Sicilia milibus quingentis.] Mirum quantum detorsit hunc locum Dickius. Legendum enim *Istriaque* et *mille quingentis* (scil. passibus); et relativum *quod* omnimodo retinendum. Apud Koppium totum locum rectissime exhibitum invenies. Illud tantum addiderim, ex corruptelarum natura obvium esse, non verbis, sed numerorum notulis scripta fuisse haec omnia in archetypo, quae de mensuris dicantur; unde facile fuit $\overline{MD}$ pro *MD* scribere.

640K.: p. 313, 7 Ac dehinc fluvius mersus in penita telluris in parte agri †Bibonensis emergit.] Quare hic locus obelo figendus fuerit, non dispicio. De agro Vibiensi vel Forovibiensi digladientur per me licet geographi. Martianus noster Solinum exscribebat; Solinus habet: "summersusque cuniculo rursus in agro Vibonensi extollitur." Multa mehercle sunt in Martiani libris incerta, sed hoc saltem loco absque ullo dubio scimus eum scripsisse *Vibonensis*.

644K.: p. 316, 2 Ilva autem citra est, Oglasa infra; in sexagesimo Corsicae Planasia.] Sic Dickius, cui debemus *Ilvam* istam, nam codices habent *stipa autem citra est* etc., et certe in hac stipa, tanquam Hippolytus in stipite, editores paene distracti sunt. Sed nihil est, cur nos torqueamus, nam *stipa* nihil est nisi *citra* male scriptum. Posuerat Martianus: *Citra autem est Oglasa;* librarius quidam somniculosus scripsit: *stipa autem est oglasa.* Corrector ejus libri, cum errorem detexisset, veram lectionem hoc modo notavit:
citra
stipaautem estoglasa; quam correcturam, ut fit, parum intellexit scriba Bacchi plenus, unde *citra* in textum recepit, retento tamen *stipa.* Qui librarios hoc modo errare nolit credere, inspiciat velim hos Macrobii locos: Sat. 1.1, 7 *sciscitantem* codd. plurimi, *suscitantem* A, *vel sciscitersuscitantem* V; 1.7, 1 *provincia* codd. plurimi,

providentia Z, *providentia provincia* V; 1.9, 17 *viminalis* codd. plurimi, *vinalis* F, *vinalis viminalis* V; 3.9, 11 *siritis* codd. meliores, *sinatis* nonnulli, *iri sinatis* R (scilicet ex $\overset{iri}{\textit{sinatis}}$); 7.1, 1 *solet cibus inquit* codd. plurimi, *solet cibus ignis* N, *solet inquit cibus ignis* P. Error est non admodum dissimilis in quinto Thebaidos (463): *monumenta coacti* codd. plurimi, *non sponte coacti* N Garrodii. Satis enim elucet *non sponte* additum fuisse, ut sensum illius *coacti* explicaret, sed ita acceptum a librario semisomni, quasi pro *monumenta* scribendum esset. Sed (quod bona venia tua dixerim, lector) non multum mea refert, utrum credas an non. Nam si non credis librarios nescioquos in Martiano exscribendo ita erravisse, sequitur ut credas ipsum Martianum in Plinio exscribendo similem in modum erravisse. Equidem, siquando optio datur, errores et ignorantias librariis potius quam auctori accepta referre malo. Itaque sic locum restituendum censeo: *Citra autem est Oglasa; infra, in sexagesimo Corsicae, Planasia,* quod cum Plinianis quadrat.

644K.: p. 316, 8 Pandateria, Prochyta, Abaeneria Inarime a Graecis dicta.] Ad hunc locum Koppius: "Hic iterum festinanter et imperite Plinium exscripsit, cuius verba haec sunt: 'Prochyta non ab Aeneae nutrice, sed quia profusa ab Aenaria erat; Aenaria ipsa a statione navium Aeneae, Homero Inarime dicta, Graecis Pithecusa.' " Nunquam equidem negabo Martianum nimis neglegenter aliquando fontes suos exscripsisse. Sed istum Plinii locum qui male intelligere posset, oportebat eum non esse negligentem sed plane larvatum. Equidem eo potius adducor, ut putem Martianum scripsisse *Pandateria, Prochyta, ab Aeneae statione navium Aenaria, Inarime a Graecis dicta.* Nam si ita posuisset, in promptu fuit librariis ab *Aeneae* statim ad *Aenaria* transire.

649K.: p. 319, 5 Hic primus Europae sinus Ausonii maris patet nonaginta sex milibus, quique tres sinus habet. Italiae frons incipit, quae Magna Graecia appellata.] "Hic quoque omnia confusa," admonet Koppius, cui Dickius astipulatur. Recte quidem; sed scribarum culpa, non Martiani, id accidisse puto. Plinius (3, 95): "Hactenus de primo Europae sinu. A Locris Italiae frons incipit Magna Graecia appellata, in tres sinus recedens Ausonii maris, quoniam Ausones tenuere primo. Patet LXXXXVI, ut auctor est Varro." Nemo, obsecro, dicat Martianum auctorem suum male intellexisse; nam male intelligere is dicitur, qui pro vero sensu

alium et falsum reddat: hic vero nullus omnino sensus est. Nam a nominativo *sinus* pendent duo genitivi sibimet invicem repugnantes. Dein *primus Europae sinus* quid sit, intelligo; *sinus Ausonii maris* quid sit, item intelligo; sed idem sinus non potest et Europae et Ausonii maris esse. Illud quoque quam absurdum est, quod sinus tres sinus habere dicitur! Et post relativum *qui* quid sibi vult illa copula *-que*? Sic aestimo Martianum scripsisse: *Hic primus Europae sinus. A Locris vero litus Ausonii maris patet nonaginta sex milibus, inque tres sinus abit.* Scriba post prandium de cena cogitans, totus in illa, a *sinus* ad *litus* statim transiit. Et vulgari sermone utentibus nihil intererat inter *habet* et *abit*, quod respondet Pliniano verbo *recedens*.

653K.: p. 322, 16 Nec Athenis cedunt Boeotiae.] Duo hic me suppungunt. Primo quidem absonum videtur non urbem cum urbe vel regionem cum regione, sed urbem cum regione conferre; dein nemo nescit plures Boeotias nunquam fuisse. Itaque arbitror Capellam scripsisse *Nec Athenis cedunt Thebae Boeotiae.* Nam si quis librarius, inclinata jam nocte et marcescente lucerna, in haec verba incidisset: *cedunttebebeotie*, facile *tebe* omittere poterat. Plinius (4, 25): "Nec cedentes Athenis claritate quae cognominantur Boeotiae Thebae."

659K.: p. 326, 18 Euboea vero a Boeotia continenti modico atque ita exiguo interfluente discernitur, ut plerumque ponte iungatur.] Post *exiguo* vulgo addunt *mari*, nulla librorum auctoritate, quod additamentum Dickius recte contempsit, haec admonens: "pro *mari* scribendum esse *euripo* colligitur ex Plin. 4, 63." Veritatem subintrospexisse videtur vir doctus, nam revera euripi mentione carere non possumus. Conferas velim, candide lector, Martiani et Plinii verba. Plinius: 'tam modico interfluente euripo'; Martianus: *modico atque ita exiguo.* Quid est, quod apud Plinium praesto est, Martiano deest? Nempe nomen *euripo.* Item quaero, quid est, quod apud Martianum reperis, apud Plinium frustra quaeris? Nempe epitheton *exiguo.* Rem tenes, lector: scripsit Martianus *ita modico euripo interfluente discernitur*; librarius aliquantulum lippiens pro *euripo* posuit *exiguo.* Jam tibi advolat Securus Melior Felix, vel ejusdem farinae alius, ex mendosissimis examplaribus emendaturus; invenit haec verba *ita modico exiguo interfluente*; nec mora, totis ungulis insilit, sic reformat — *modico atque ita exiguo interfluente,* scilicet ne duo epitheta sine copula

ponerentur. Sane si malis, possis statuere *euripo* post *exiguo* propter similitudinem litterarum excidisse, ut scripserit Martianus *modico atque ita exiguo euripo interfluente*; sed mirandum mihi videtur, si Martiano abbrevianti non satis ampla visa sunt illa, quae Plinius posuerat.

668K.: p. 331, 20 Ultra ipsum (sc. Atlantem montem) ad occasum versus per quadringenta nonaginta sex milia saltus feris Libycis occupati.] Sic Dickius satis bono sensu; pro verbis *ad occasum versus* libri habent *ad occasum litus*. Solinus (24, 12): "Qua spectat occasum, inter ipsum et flumen Anatim per quadringenta nonaginta sex milia passuum infames bestiis silvae obsident." Plinius (5, 9): "Polybius ... prodidit a monte eo ad occasum versus saltus plenos feris quas generat Africa; ad flumen Anatim $\overline{\text{CCCCXCVI}}$." Optimo quidem jure Dickius *ad occasum litus* nihili esse judicavit; sed valde demiror, si librarius *versus* in *litus* mutare potuit. Mihi quidem, quantum in re tenebricosa dispicere licet, magis probabile videtur *ad occasivum litus* legendum esse; quippe apud ipsum Martianum, ne longius exempla quaerendo devager, reperies *occasum* pro *occasivum* p. 468, 8.

673K.: p. 335, 4 Interior autem Africa ad meridiem versus intervenientibus desertis habet Leucoe Aethiopes.] Sic Dickius, qui notat, "*Leucoe Aethiopes* Plinius, *leucoethiopes* ARB[1] ..." Sed fusci illi homines apud Plinium recto casu ponuntur, apud Martianum accusativo; et accusativus Graecus in *-oe* desinens mihi quidem ignotus est. Appellantur isti Latine *Leucaethiopes*, et accusativum faciunt vel Graeca positione *Leucaethiopas* vel Latina *Leucaethiopes*, quae lectio hic tuenda est.

676K.: p. 336, 18 de lacu Nili deoriri] Hem nos homunculi quo non rapimur novitatis studio? Nam optimus vir Dickius, cum priores editores *de lacu Nilide oriri* posuisse vidisset, pulchrum se ac beatum putavit, cum *Nili deoriri* divisisset. Plinius (5, 51): "Originem, ut Iuba rex potuit exquirere, in monte inferioris Mauretaniae non procul Oceano habet lacu protinus stagnante, quem vocant Nilidem." Solinus (32, 2): "Originem habet a monte inferioris Mauretaniae, qui Oceano propinquat. Hoc affirmant Punici libri; hoc Iubam regem accipimus tradidisse. Igitur protinus lacum efficit, quem Nilidem dicunt." Quid his addam, nescio.

683K.: p. 340, 2 Myreanus] Nihil hic, quod obelo dignum

putandum sit; nam qui librorum manuscriptorum aliquam notitiam acquisiverit, statim videbit, quo modo error grassatus sit. Pro *idemyrcanus* (nam de aspiratione nemo digladiabitur) scribae posuere *idemmyrcanus* duplicata *m* littera (vel, quod magis veri simile arbitror, *idēmyrcanus*); deinde, cum pro *c* littera *e* posuissent (ut vidimus p. 23, 20 *poloselimata* pro *polosclimata*), legebatur *idēmyreanus*. Quam vellem omnia apud Martianum aeque aperta ac simplicia essent!

684K.: p. 340, 8 ... Asia, quae ab oriente Phrygia et Lycaonia, a septentrione Paphlagonia est; huius longitudo quadringenta septuaginta milia passuum, latitudo trecenta; Armenia altera ab oriente, a septentrione Pontica.] Mirum in modum abbreviata haec videntur, nam Plinius (5, 102) sic: "In duas eam (scil. Asiam) partes Agrippa divisit. Unam inclusit ab oriente Phrygia et Lycaonia, ab occidente Aegaeo mari, a meridie Aegyptio, a septentrione Paphlagonia: huius longitudinem $\overline{\text{CCCCLXX}}$, latitudinem $\overline{\text{CCCXX}}$ facit. Alteram determinavit ab oriente Armenia minore, ab occidente Phrygia, Lycaonia, Pamphylia, a septentrione provincia Pontica, a meridie mari Pamphylio, longam $\overline{\text{DLXXV}}$, latam $\overline{\text{CCCXXV}}$." Statim vides nihil omnino dicere Martianum de Aegaeo mari, de Aegyptio mari, de Pamphylio mari, de Phrygia. Difficillimum est Martiani mentem introspicere, sed suspicor eum, dum ante omnia brevitati studet, conterminas quidem regiones enumeravisse, marium vero mentionem omisisse quasi supervacaneam et a lectore facile supplendam. Et certe si quis hodie, cum de reipublicae Francogallicae finibus quaereretur, dixisset eam ab oriente Belgica, Germania, Helvetia, Italia, a meridie Hispania terminari, facile intelligeremus cetera mari Mediterraneo et ipso Oceano finiri. Itaque non eum libenter sequar, qui haec omnia marium nomina e Plinio in Martianum quasi obtorto collo velit reducere. Verum Phrygiae nomine carere non possumus, neque ipsum Martianum tam neglegenter scribere potuisse reor, ut eam regionem, de qua loqueretur, tantummodo ab oriente et a septentrione finiret. Igitur sic restituendum censeo: *Armenia altera ab oriente, <Phrygia ab occidente,> a septentrione Pontica.* Sed ne sic quidem rectis pedibus ambulare videtur hic locus. Nam, ut Dickius recte notat, *inclusa* vel tale aliquid videtur excidisse post *Paphlagonia*; quod tamen si ex Plinio restituemus, in alium lapidem offensionis pedes statim impingemus. Nam apud Plinium invenimus 'unam...

alteram'; apud Martianum *altera* quidem hercle apparet, ut cum comico loquar, *una* οἴχεται. Quid tum, sodales? Reponamusne et *inclusa* et *una* competentibus locis, ut *Asia* <*una*> *quae ab oriente Phrygia et Lycaonia, a septentrione Paphlagonia* <*inclusa*> *est* etc.? Non affabre factum opinor, cum nulla ratio appareat, cur ea verba exciderint, cumque (quod multo gravius est) apud Plinium duas Asiae partes habeamus, apud Martianum duas Asias. Sed macte virtute; rem quandoque expediemus. Sic credo Capellam scripsisse: ... *Asiam, quae ab* <*Agrippa in duas partes divisa est*; *quarum una inclusa ab*> *oriente Phrygia et Lycaonia, a septentrione Paphlagonia est.* Librarii enim nesciocujus oculi caligentes a verbis *ab Agrippa* in verba *ab oriente* devagati sunt, ut perierint ea, quae in medio fuerant.

693K.: p. 344, 9 Sed Scythico oceano et Caspio mari, qua in oceanum Eoum cursus est, profundae in exordio nives dehincque longa desertio.] Una litterula addenda est: *sed* <*a*> *Scythico oceano* etc. Solinus (50, 1): "Qua ab Scythico oceano et mari Caspio in oceanum Eoum cursus inflectitur, ab exordio huiusce plagae profundae nives, mox longa deserta." Item Plinius (6, 53): "A Caspio mari Scythicoque oceano in eoum cursus inflectitur."

345, 1 Nam in Eoum mare a meridiano porrecta, salubris favonii vegetabilibus flabris secundo aestate annis singulis vegetatur, bisque frugem metit.] Satis sana haec, si nihil nisi sententiam respicias; sed non admodum eleganter expressa. Insulsa enim est illa intra pauca verba repetitio *vegetabilibus flabris vegetatur*, et in scriptore varietatem sermonis anxie aucupante non toleranda. Quid? Isne, qui *secundo* ... *bisque* pro Solinianis *bis* ... *bis* posuerit, scilicet ut ne minutum quidem et cotidianum vocabulum repeteretur, ita inconcinne locuturus erat? In Solini Pliniique locis nihil auxilii reperitur, cum ille Indiam 'favonii spiritu saluberrimam' dicat (52, 1), hic 'favonii afflatu iuvari Indiam salubremque fieri' (6, 57). Sed neque Martiani codices multum adjuvant, nam luce clarius est *vegetavilibus* in archetypo scriptum fuisse. Suspicor tamen recte se habere variam lectionem, quae in Monacensi libro reperitur, nempe *vitalibus*. Nam stilo Martianeo satis congrueret illud *vitalibus flabris vegetatur*, praesertim cum Apuleius, quem arbitrum elegantiarum in sermone Latino corrumpendo habuit Capella, sic posuerit in libello de mundo (p. 363 Hild.): 'salubri et vitali ope vegetatur'.

700K.: p. 347, 23 Germania quoque Persis adiungitur.] In hoc nomine librarios erravisse arbitror, non ipsum Martianum. Nam Germaniam inter Persas et Indos locare potuere dormitantes scioli, non potuit Martianus, homo neque ipse illitteratus neque inter illitteratos educatus. Idem opinor de Hypani Germaniae fluvio (p. 347, 17), ubi et Solini aliquot et Martiani codices eodem modo erraverunt. Sed hoc loco subest et alia corruptela; nam is, qui archetypon scripsit, non vidit nominativum esse *Persis*, ab eo quod est Persis, Persidos; sed pro dativo plurali accepit ab eo, quod est Persa, Persae. Hinc, ut syntaxi mederi sibi videretur, *Germania* vel *Carmania* nominandi casu posuit. Rhythmus enim nos vetat aliter interpretari; quippe *Persĭs adiungitur* optima clausula est, *Persīs adiungitur* vix clausulae nomine dignum videtur. Legendum igitur, ut jam in editione principe excusum erat, *Carmaniae quoque Persis adiungitur.* Ecce, Solini testimonium praeteriturus eram incautus: (54, 13) "Ultra hos deserta Carmaniae; Persis deinde, atque ita navigatio"; et paulo post "Carmaniae Persis annectitur."

749K.: p. 380, 1 Pares ex imparibus et qui pares imparium multiplicatione fiunt, ut ter bina sex sunt...] Sic Dickius legendum censuit ex Bernensi suo: *qui pares impari multiplicatione fiunt* ceteri, quod ut ferri debere non censeo, sic aliter, quam Bernensis scriba fecerit, emendandum puto. Nam turpiter redundat illud *pares* (quippe nemo putabit pares ex imparibus impares fieri), deinde neque *imparium multiplicatio* neque *impar multiplicatio* eum, quem quaerimus, sensum adamussim exprimit. Suspicor equidem *pares* ex mera perseveratione scriptum fuisse, ideoque reponendum *qui parium impari multiplicatione fiunt.* Sic enim paullo infra dicit noster ... *et qui imparem numerorum multitudinem pari multiplicatione consummant.*

755K.: p. 385, 18 Est autem triangulum in paucissimis tribus, quadratum in paucissimis IV. [id autem quod imparia latera habet, in paucissimis sex.] altera parte longius quadrangulum in paucissimis sex; crassitudo item, quae tessera, in paucissimis octo.] Unci illi Dickio nostro accepti referendi sunt, qui verba delevit quasi glossema, adiciens, "neque supra de hac specie sermo est." Sed parum vigilanter ea, quae praecesserant, scrutatus erat vir alioquin cautissimus: p. 385, 13 "atque eae quae quattuor angulos habent vel quadratae sunt vel altera parte longiores, quas ἑτερομη-

κεῖς Graeci appellant. praeterea plures quoque anguli, possunt interdum etiam inaequalia numeri latera esse..." Nam cujus numeri latera inaequalia sunt, is est, qui *imparia latera habet.* Numeros enim figurata ratione hoc modo sibi fingebat Capella:

triangulum in paucissimis tribus

quadratum in paucissimis quattuor

id quod imparia latera habet

 altera parte longius quadrangulum in paucissimis sex

 tessera in paucissimis octo

Et haec omnia inferius explicat p. 386, 5-13: "tres sic componi possunt ...; quattuor in quadrum positi ...; quinque sic colliguntur, ut in altero latere duo, in altero tres sint; sex, ut quadrangulum faciant ..." e.q.s. His inspectis, nemo opinor diutius dubitabit, verba ea, quae Dickius deleverit, a Martiani manu profecta esse, illudque tantum corrigendum, quod pro *VI* legendum sit *V*, ut jam editor princeps viderat.

Sed hoc incommodo liberati, aliis difficultatibus statim implicamur: *At si quattuor ponuntur, et crassitudo oritur et paria omnia latera in planitiem atque altitudinem sunt, binis in omnem partem ordinatis.* Qui parumper rem considerare velit, videbit neminem, sit licet ipse Pythagoras, quattuor puncta ita posse ponere, ut bina in omnem partem ordinentur; neque quicquam absurdius, quam hoc loco asserere quattuor punctis crassitudinem fieri, cum tesseram sive crassitudinem in paucissimis octo fieri dixerit. Sed huic quidem vulneri facilis et prompta adest medicina. Aut enim meridie non lucet, aut scripsit Martianus: *at si quattuor super quattuor ponuntur,* ut supra p. 385, 8 'crassitudinem fieri numero super numerum impositis'.

763K.: p. 392, 8 Hinc rursus plura discrimina oriuntur: siquidem unus numerus potest duplo augeri et aut superdimidio aut supertertio aut superquarto ulterioribusve et multiplicationum

et membrorum rationibus.] Sic locum restituit Petersenius, cum pro *augeri* codices habeant *geri*, deinde copulam *et* omittant. Acute quidem et docte; sed nondum locus omnino sanatus est. Suspicor enim Martianum sic reliquisse: *unus numerus potest duplo aut triplo aut quadruplo augeri*... Vide enim quae mox sequuntur: v. 12 *duplo et superdimidio*; v. 14 *triplo et superdimidio*; v. 16 *quadruplo et superdimidio*; deinde v. 20 *duplo et supertertio*; 393, 1 *triplo et supertertio*; 393, 4 *quadruplo et supertertio*; mox 393, 6 *duplo et superquarto*; 393, 9 *tripli et superquarti*; ibid, *quadrupli et superquarti*; denique 393, 10 *idemque in ulterioribus*... Ceterum non multum mirarer, si in archetypo scriptum esset *ogeri* pro *augeri*, vulgari scilicet pronuntiandi ratione; unde *duploogeri* facile transire potuit in *duplogeri*. Vulgaris orthographiae vestigia agnoscere mihi videor e.g. 292, 23 *esqualentior;* 303, 8 *Spania* (cf. 304, 18; 305, 11 et 19; 308, 14 etc.); 86, 19 *escribitur*, ut de i/e et o/u sescenties commutatis taceam.

763K.: p. 393, 10 Idemque in ulterioribus numeris fit, perindeque numeri minores ex iis et replicationis alicuius et subdimidii vel subtertii vel subquarti vel alicuius ulterioris rationes cum maioribus habent. ut apparere etiam ex his potuit, multiplicatio a minima ratione incipit...] Male interpunxit hunc locum Dickius; debebat enim sic: ... *maioribus habent, ut apparere etiam ex his potuit. Multiplicatio a minima*... etc. Nam *perinde* et *ut* sibi invicem respondent.

767K.: p. 395, 14 ut duplum quattuor duorum sunt, sic dimidium quartae rationis duo sunt.] Quartae rationis in re mathematica neque nomen neque famam unquam indaudivi. Sane est quaedam quadruplicata ratio, ut et triplicata et duplicata, sed sensu alieno ab hoc loco. Asininis auribus me adornes licet, nisi scripsit Capella *dimidium quaternionis*; nam vide sequentia: "Ut igitur duobus duos adiciendo quattuor fecit, sic rursus quaternioni duos adiciendo fecit superdimidium."

772K.: p. 400, 3 at multiplicet vel ternio quinarium numerum vel quinarius numerus ternionem, fiunt XV, omnesque ii numeri IX, XXV, XV per se compositi sunt it quicumque impares partis eiusdem sunt.] Verba *partis eiusdem* nullum sensum habent. Repone *sortis eiusdem*, ut infra v. 17 "in eadem sorte is quoque numerus est." Neminem fugiet *impares partis* pro *impares sortis* per ejusmodi

errorem scriptum esse, quem *Perseveranzfehler* Theotisci nominaverunt.

787K.: p. 412, 2 addantur duo numeri inter se compositi IX et XII; simili multiplicatione eodem non pervenitur, quia potest etiam minor numerus quam qui sic efficitur in his mensuram minimam habere. alia igitur via reperiendum est.] Sic locum constituit Dickius, satis putide tamen. Nam primum quidem addendi notio hic est nulla; si enim invenire vis, quem numerum metiantur 9 et 12, nihil egeris 9 et 12 addendo. Libri mendacissime et tantum non comburendi βAΛ habent *addantur*, ceteri *addentur*: scripsit Martianus *at dentur*. Vides nunc, quam bene omnia sequentur: (p. 411, 17) "Sint dati numeri duo et tria; hi inter se incompositi sunt ...; at dentur duo numeri inter se compositi..."

Sed et aliud mendum subest, lector patientissime. Mensuram minimam in 9 et 12 habere nullus numerus potest; nam cujus numeri 9 et 12 mensurae erunt, ejus numeri minima mensura erit trias, quippe quae mensura communis sit 9 et 12. Itaque Dickii conjectura *mensuram minimam habere* vel putidissima est judicanda. Sed ne id quidem, quod in vulgaribus libris reperitur, ferri potest — *in his aliam mensuram habere* — nam illud *aliam* caret sensu. In R^1B^1 reperimus: ... *in his mensuram alia habere igitur via reperiendum est*; et sic arbitror fuisse in archetypo. Mutetur jam ordo duarum vocum; habebimus *in his mensuram habere. alia igitur via reperiendum est.* Vides quam facile interdum Martiani ulcera sanari queant, mox emplastra illa vetera sustuleris, quae imperiti medici adhibuerint.

808K.: p. 427, 10 tu fingere ludicra praestas, viliaque astriloquae praefers commenta puellae.] Alloquitur, immo acerbissime increpat Satura Martianum, quod Astronomiae operam non det, sed Sileni Cupidinisque iocis ineptiisque se delectet. Nihil hic difficile praeter unum istud verbum *praestas*. Asinino suo more Remigius: "*Praestas* praeponis, praefers," quod ne scholares quidem pueri non deridebunt. Melius a Koppio (quippe homine) accipitur: "praestas] id est 'tu melior, aptior es ad ludicra fingenda." Sed ne sic quidem magnopere delectat hic locus. Non nunc primum castigat Satura Martianum quasi ineptum et nesapium, cf. 576K.: p. 287, 9; et jam irasci videtur, quod ne admonitus quidem seriis rebus se applicet. Itaque veri simile puto Capellam scripsisse *tu ludicra fingere perstas*, id est 'ab ineptis commentis tuis non

desistis'. Verbum *perstare* cum infinitivo optime construi non est quod moneam. Sane facile fuit librario per anticipationem ejus verbi, quod est *praefers*, hoc loco *praestas* pro *perstas* scribere.

814K.: p. 431, 4 quo loco solis, lunae ac siderum signiferique orbis se obliquitas circumducit, quod κυκλοφορητικὸν cyma gymnasia retulerunt.] Suspectum mihi semper fuit illud *gymnasia*, non quod apud Martianum ejusdemque farinae scriptores *gymnasia* pro philosophis poni posse negem, sed quod totius loci tenorem et quasi seriem interrumpit. Vide enim sententiae structuram: p. 430, 15 *auscultare physicis non dedigner, qui ... non aestimant ...* (v. 21) *quod dixere centron ...* (p. 431, 2) *ignis cyma commemorant.* Nonne exspectares κυκλοφορητικὸν *cyma retulerunt*? Nam qui, obsecro, retulerunt nisi ipsi physici? Equidem suspicor *gymnasia* olim pro *cyma* male scriptum fuisse ab homine emendaturiente; deinde, cum hoc modo correctum fuisset $\overset{\textit{cyma}}{\textit{gymnasia}}$, librarium parum vigilantem *cyma gymnasia* posuisse. Ejusdem generis errorem detexisse mihi videor p. 439, 6: *Iam nunc inter circulos universos quid interstitii vel spatii intercapedo naturalis immiserit aequum explicare.* Vereor ne in libro quodam antiquissimo scriptum fuerit $\overset{\textit{vel spatii}}{\textit{interstitii}}$. Sed has leviores suspiciones esse non negabo, neque multos fore spero, qui opinionem meam amplectantur.

835K.: p. 438, 20 Cuius circuli (sc. signiferi) ambitum per duodecim signa admodum clara circumagi dubium non habetur; nam galaxias non magis ratione quam oculis approbatur.] Hac lectione contentus esse nequeo; nam inter duo haec enuntiata nulla causalis ratio intercedit, qualis particulam *nam* flagitare posse videatur. Aequa enim absurditate dixeris, "Signifer per duodecim signa fertur, nam Tullius ab Antonio interfectus est." Astronomiae imperitum fuisse Martianum non negabo; rationis incapacem negabo. Legendum igitur levissima emendatione: *iam galaxias* etc. Sed vereor ne et ea corrupta sint, in quae mox incidimus: *cuius ultra regulam ac plerumque deficiens latitudo a Cassiepeiae astro in Scorpionis aculeum latitudine compensatur.* Nam primo quidem non intelligo, quid sit latitudinem latitudine compensari; deinde non video, quo jure galaxiae latitudo a Cassiepeia in Scorpionis caudam censeatur, cum haec duo signa a se invicem centum octoginta longitudinis gradibus distent. Sed ne longitudinis quidem notio huic loco congruit, nam latitudo deficiens longitudine exsuperante compensari deberet; sed orbis lactei longitudo eadem est quae

signiferi, quae colurorum, quae omnium denique (ut cum astronomis loquar) magnorum circulorum caelestis sphaerae. Itaque non omnino probanda mihi videtur conjectura illa *longitudine*, quam Koppius ex libro Ettenheimensi recepit. Equidem, ut ingenue fatear, quid hoc loco scripserit Martianus, non possum divinare; illud tantum notabo, veri simile esse nonnulla verba excidisse. Nam cum de ceteris circulis loqueretur, non praetermisit siderum nomina, per quae quisque duceretur. Sic par. 827 de septentrionali: "a capite Draconis et dextro pede eius qui appellatur Engonasis, ad medium Cephei pectus, tunc ad pedes priores maioris Ursae, inde rursus ad Draconis caput;" par. 828 de solstitiali: "incipit ab octava parte Cancri ... ad Leonis pectus et ventrem, inde ad Ophiuchi umeros" etc.; similiter de aequinoctiali par. 829, de brumali par. 830, de coluris par. 832; de zodiaco ea dicit, quae superius posui. De antarctico haec (par. 831): "Quem quidem meantem, quibus sideribus oculetur, ego (sc. Astronomia) poteram memorare; neque enim mihi ulla caelestis globi portio habetur incognita, sed ... dicere praetermitto;" et de finitore (par. 836): "qui ex eo quod semper surgentis demeantisque mundi diversitatibus variatur, certum astrorum ordinem non poterit retinere." Ut summatim dicam, de circulis caelestibus ita loquitur noster, ut aut astrorum nomina, per quae ducantur, exponat, aut rationem aliquam afferat, cur ea tacere velit. At Hyginum videmus (*astr.* 4, 7) nomina signorum afferre, per quae Galaxias volvatur: "Ipse enim dividit Oloris extremam sinistram pennam, quae extra aestivum pervenit finem; praeterea transit manum dextram Persei, et ab umero sinistro Aurigae perveniens sub manum eius dextram" et quae sequuntur; neque secus Manilium 1, 680, qui Cassiepeiam, Olorem, Aquilam, Scorpionis caudam, Centauri pedes, navem Argo, Geminos, Heniochum, Persea nominat. Itaque plura signorum nomina hic intercidisse puto, sed quomodo sententiam resarcire debeam, non equidem dispicio. Ceterum sentio me in transcursu alium locum vitiosum sanavisse; nam quod dixi Martianum par. 831 (p. 437, 1) *quibus sideribus oculetur* scripsisse, id scrupulum movebit hominibus accuratioris scientiae, qui apud editiones *circuletur* invenient. Sed cum nihil monstrosius sit, quam circulum sideribus circulari, cumque noster paulo superius (p. 431, 8) 'nullis sideribus oculatur' posuerit (Grotio emendante), nullus dubito nostrum scripsisse *oculetur* hoc loco, quod in *c̄culetur* mutavit librarius quidam, de circulis agi non nesciens.

838K.: p. 440, 7 Haec igitur quinque et triginta signa circuli interiacentis ambitu discernuntur, nam alia sunt aquilonalia, alia austrina.] De signis extra zodiacum positis loquitur, nam duodecim zodia inter triginta quinque non numerantur. Vocabulum *signa* turpiter abundat, siquidem paulo superius dixit, "Dubium non est XXXV signis omne splendescere caelum" (p. 440, 1). Item vocabulum *circuli* obscurius positum videtur, nam homini astronomiam docenti melius fuerat statim et nominatim dicere, quonam de circulo loqueretur. Itaque arbitror Martianum sic reliquisse: Haec igitur quinque et triginta signiferi interiacentis ambitu discernuntur, ut p. 441, 1 "Haec (sc. XXXV signa) discernit zodiacus."

Et haec quidem sunt, benignissime lector, quae mihi hucusque ad Martiani verba emendanda se suggesserint; quae si, ut spero, probaveris, ab iniquo eorum judicio dissenties, qui, quicquid delirarint librarii, ipsi Martiano acceptum referre properarint. Verum si quis omnes Philoponos atque Chalcenteros adeo superet, ut vel haec morosa et intricata legere sustinuerit, eum rogitantem audire mihi videor, cur ego, cum Reichenauensi et Bambergensi libris tantam praestantiam tribuerim, ceteros scelesti mendacii toties arguerim, non eo usque conatus sim pervenire, ut hos omnino neglegendos, in illorum testimonio acquiescendum esse demonstrarem. Acuta sane interrogatio, et cui omnimodo respondendum sit. Quippe ne me quidem subterfugit de his rebus saepenumero cogitantem, praeclare mecum actum iri, si ostendere possem, eum librum, ex quo Reich. et Bamb. descripti essent, ipsum fuisse omnium nostrorum archetypon. Nam si id statui posset, optimo eum jure acturum, qui ceteros ex apparatu critico exturbaret, illorum consensum ut traditam lectionem acciperet, inde divinando emendaturus quicquid minus sanum videretur. Et hercle non sine labore omnia perquirebam, quae huic quaestioni solvendae apta viderentur. Sic enim ratiocinabar: si quid in ceteris libris reperiretur, quod melius judicandum esset, quam id, quod in RB legeretur, aut ex conjectura illud ortum esse aut ex meliore quodam libro, qui vitiis τῶν RB careret; verum si quis ejusmodi liber fuisset, parentem illum, ex quo RB descripti essent, non fuisse nostrorum omnium archetypon. Et primo quidem tot bonas lectiones in aliis libris inveniebam, ut neminem fore putarem, qui e conjectura eas ortas contenderet. Sic p. 4, 14

perspicui] p̓esqui R^1B^1; p. 23, 4 cum vivos] cuivos R^1B^1; p. 28, 14 ex sexta poscimini nam] ex secta posci minimam R^1B^1; p. 40, 22 Ioviali ut] iovi aliud R^1B^1; p. 75, 22 harpis bombisque] arpe spumisque R^1B^1, ut pauca quaedam ex perbona segete adducam.

Sed quanto magis rem considerabam, tanto incertior fiebam; nam non paucos locos inveniebam, ubi non tantum RB, sed complures libri, immo maxima pars eorum, in falsa lectione conspirarent, cum in hoc vel illo libro meliorem lectionem reperirem. Sic p. 13, 14 in torrentem lividum vorandas hiatu piceo despuebat.] *vorandum* A^1ΛLRBMOD, quod ex perseveratione post *lividum* ortum esse nemo non perspiciet; *vorandas* βA^2. Recte illi quidem; sed libentius credam ex conjectura id effectum esse, quam ex veteris alicujus libri auctoritate. Item p. 17, 13 quippe cum impigrum gerendorum sciat esse Cyllenium.] Omnes praeter β^1A habent *impiger* et *cyllenius*. Olim admonui legendum esse *impiger* ... *sciatur esse Cyllenius*, sed id non hujus loci; illud saltem animadvertendum est, β^1A ex conjectura locum temptavisse sanare, Dickioque in ea re persuasisse. P. 62, 14 a fronte lecticam subvehere non morantur.] Sic Morellius locum emendavit; *subvehere morantur* β^1AΛL^1RB^1M, quam archetypi lectionem fuisse vix Pyrrhon ipse dubitaret. Sed ecce nunc Darmst. habet *subvehere moliuntur*, quod in ed. pr. excusum Koppius accepit, Petersenius recte se habere probavit, allato p. 69, 19 "correpta lectica magno molimine eam subvexere." Non ergo acuti in divinando homines deerant ne in monasteriis quidem et undecimo saeculo. Similiter p. 65, 8 sed quoniam unicuique deorum superiorum singuli quique deserviunt...] *singuli quique* β$A^2L^2R^2B^2$, *singulique* A^1Λ$L^1R^1B^1$M, unde satis apparet archetypum habuisse *singulique*. p. 73, 8 totaque veneratione supplicans] pro *supplicans* habent *plicans* β^1A^1RB^1L, et in L superscriptum est 'pro supplicans'. Denique p. 77, 14 laetabunda igitur gratesque testata] *gratasque* $\beta^1A^1L^1$RB^1M^1, quam falsam archetypi lectionem in ceteris conjectura emendatam esse perspicies; dein *testa* pro *testata* est in R^1B^1. Quid ergo? *gratas* in *grates* ex conjectura emendare poterant monachi, *testata* pro *testa* non nisi meliorum codicum ope reponere potuerunt? Sic nonnulla etiam, quae monachorum captum excedere primo conspectu forte videantur, ex conjectura poterant oriri; v.g. p. 47, 8 Agrypnia] deae nomen recte dant βA, *agrimnia* est in L^2B^2MOD, *agrinia* in RB^1. Difficilis sane emendatio, nisi idem nomen recurreret p. 62, 15, ubi *agrimnia* ΛO, *agripnia* vel *agrypnia* ceteri.

Facillime quidem tota haec quaestio resolvi posset, si apud RB hic illic plura verba omissa reperire possemus, quae in ceteris recte legerentur. At quoties in superioribus ejusmodi locum tractavimus (ut 309K., 336K., 348K., 350K., 375K., 386K., 387K., 392K., 402K., ne nimis plura enumerem), confiteri coacti sumus, ea quae in RB desiderarentur, etiam in archetypo omissa fuisse, et in aliis libris ex scribarum vel magistellorum ingenio esse suppleta.

Itaque his rebus exploratis, totam quaestionem ita mihi proponebam. (1) Multa in RB (vel R^1B^1) perperam lecta, multa omissa deprehendimus, quae vitia communi eorum exemplari tribuenda sint. (2) Ex his locis multos possis ostendere, ubi aliorum codicum lectiones prima fronte speciosae sine ullo dubio ex conjectura vel felici vel non ita felici ortae esse videantur. (3) Restant aliquot loci, qui in ceteris satis bene leguntur, RB manifeste errantibus; unde ignoscendum est, si quis meliorum librorum fide eas lectiones niti proclamet. (4) Attamen, si quis tales lectiones ex conjectura oriri potuisse neget, in ea sententia minus firmiter haerebit, cum multa hic illic in singulis vel paucis libris recte restituta inveniet, quae nullo modo ex archetypo peti potuerint.

Frontem igitur vehementer ferienti commode adfuit Leidensis Vossiani testimonium, quod ego maximi momenti aestimo. Leidensis Vossianus Latinus F. 48 liber est perantiquus: saeculo nono exeunti tribuit Leonardius, verum vir doctissimus H. Meijer, qui Vossianorum catalogum novum parat (cujus ego viri humanitatem et benevolentiam non satis laudare possum), anno fere 850 assignat. Quod si ita est, quemvis librorum a Dickio adhibitorum antiquitate provocat. Hoc igitur, opinor, neminem fugiet: si quae lectiones vel aperte mendosae vel a Dickio saltem improbatae, quae RB propriae prius videbantur, Vossiani quoque auctoritate fulciantur, multo magis probabile fieri, in archetypo eas fuisse. Nunc accipe, patientissime lector, lectionum Vossianarum spicilegium.

P. 13, 5, pertrahebat] *pertrahebant* R^1B^1V; 13, 11 correptas] *correptos* $R^1B^1V^1$; 31, 4 consessus] *consensus* R^1B^1V; 43, 18 sic] *si* $R^1B^1O^1V$; 48, 12 vultum] *vultu* ALRBV; 58, 17 aethereoque] *aethereque* RBM^1V; 75, 17 idem quem] *idemque* R^1B^1V; 76, 15 raptibus] *partibus* R^1B^1V; 94, 9 equus] *eques* R^1B^1V; 128, 8 glis] *gliris* R^1V; 128, 9 I] omittunt LRBV; 129, 5 simplici] *simplicem* RB^1MV; 134, 13 nescio] *nescias* LR^1BV; 142, 7 enuntiatur] *enuntiantur* LR^1B^1V; 145, 15 adii adieram prodii prodieram] *adii*

prodii adieram prodieram ΛLRBV; 155, 19 quinta] *altera* R^1B^1V; 160, 2 evenit] *venit* R^1B^1MV; 165, 5 utimur] *utitur* LR^1BV; 170, 2 intelligat] *intelligit* LR^1BV; 173, 1 orationis] *orationes* $L^1R^1B^1V$; 173, 18 manifestum] *manifeste* LRB^1MV; 174, 18 ad quae] *atque* R^1B^1, *adque* V; 176, 4 contrarium] *contraria* R^1BV; 176, 10 *et minore* omittunt $L^1R^1BS^1V$; 176, 20 *non* omittunt R^1B^1V; 177, 18 *est* omittunt R^1BV; 178, 13 ad necessitatem] *ut necessitate* RB^1MF^1V; 179, 9 ex quibus situs] *et exquisitus* R^1B^1, *ex quis situs* V; 182, 13 illa] *ille* (*illae*) $L^1R^1B^1V$; 183, 8 *Cicero disputat* omittunt $A^1L^1R^1B^1V^1$; 187, 22 *utinam scribam* omittunt R^1B^1V; 188, 1 non potest] *non enim potest* RB^1F^2SV; 188, 16 *altera* om. LRBSV; 190, 14 altera] *altera altera* LR^1B^1V; 193, 8 *quod* omittunt RB^1F^1V; 201, 24 honestum] *iustum* $LR^1B^1SV^1$; 203, 7 concederetur] *conceditur* $L^1R^1B^1FV$; 204, 16 *quintus modus est*... 19 *igitur* omittunt $R^1B^1V^1$; 205, 11 *primum autem, secundum igitur* omittunt $L^1R^1B^1FV$; 205, 13 tertii] *tertia* L^1R^1BV; 205, 20 *autem* om. LR^1BV; 206, 16 *in hoc*... *per negationem* om. $L^1R^1B^1V$; 211, 4 Deliacos poscens] *della composcens* R^1B^1, *della compescens* V; 214, 18 sciscitari] *suscitari* R^1B^1, *siscitari* V; 220, 17 continentur] *continetur* L^1R^1BV; 222, 7 scriptura] *scripturae* LRB^1V; 222, 12 *vel* omittunt R^1B^1V; 223, 18 opponatur] *apponatur* LRBV 227, 4 humanitatis] *inhumanitatis* RBV; 228, 20 ponderari] *ponderare* LRB^1V; 230, 20 *aliud quod non scriptum est* omittunt LRB^1V (quo loco videas velim, lector, ea vocabula, quae in βAΛ supplentur, ex conjectura certe potuisse oriri; nam in B^2 quoque locum mancum aliter sed non male expletum invenimus, quod ex mera conjectura factum esse nemo negabit); 235, 13 *abicienda* LRB, *obicienda* V, sed glossa 'respuenda' in V ad *abicienda* potius referenda videtur; 239, 11 *paene* BV, *pem* corr. *pe* R, *saepe* ceteri; 240, 5 *quae* RBMV, *quo* vel *cum* ceteri; 244, 11-12 cupientem nos consules perferemus] *C.N.C.P.* RBV; 251, 22 transferimus] *transferre* LRB^1V; 258, 25 *litus* om. A^1RB^1V; 269, 25 *erit qui* A^1LB^1V (Reichenauensis testimonio h.l. caremus), *erit cui* vel *eritque* ceteri; 270, 21 quo] *quae* $L^1R^1B^1V$ loco nondum satis sanato; 282, 18 *quaestioque* R^1B^1V, *quaestio* ceteri; 285, 2 nec osor] *negosor* $A^2R^1B^1V$; 286, 2 penetrabile] *penetrale* RB^1CV; 313, 4 Vesulus] *vesulas* $R^1B^1V^1$; 314, 16 Praeneste alterum] *praesente* $L^1R^1B^1V^1$; 317, 6 Ficariam] *ficaria* LRB^1V; 319, 8 *corpus* R^1B^1V, *portus* vel *locus* ceteri emendare studentes; 323, 3 quam plures] *quam res* R^1B^1V; 330, 8 quoddam] *quondam* R^1B^1, *condam* V; 331, 6 *Libyis* Dick. e Solino, *libet* R^1B^1V, *libe*

vel *libise* fere ceteri; 336, 10 ostium] *stitium* R^1, *stium* B^1, *ostitium* V; 337, 7 Persei et] *perseget* R^1B^1V; 340, 12 *iania* R^1B^1V, *ionia* vel *alania* ceteri emendare satagentes; 341, 14 fluvius alii fluvio] *fluvio sali fluvio* R^1B^1V; 350, 5 Cyrenaicam] *quirenaicam* LR^1B^1V (*renaicam* Λ^1, *cuirenaicam* R^2C, *sirenaicam* B^2). Consulto omisi multos locos ubi lectio mendosa tot librorum auctoritate firmatur, ut in archetypo fuisse nemo negare velit, ut 34, 18 compacti] *compactu* $A^1\Lambda^1L^1RB^1M^1V^1$; 35, 19 canitiei] *canitiem* ΛL^1RB^1OV; 36, 10 comis] *comes* $A^1\Lambda^1LB^1M^1V$; tunc] *nunc* $L^1RB^1M^1V$; 73, 8 supplicans] *plicans* $\beta^1\Lambda^1R^1B^1V$ et alia plurima.

Vides, lector, quam saepe in falsis lectionibus congruant RBV, codices tam cascae antiquitatis, ut eorum commune exemplar vix aliud quam ipsum omnium archetypon fuisse videatur; vides quoque veram lectionem (si ita appellanda est) perpaucis saepe codicibus eisque dubiae fidei exhiberi, ejusque generis esse, ut satis facile ex conjectura fabricari potuerit. Memineris velim quingentos annos Martianum in scholis lectitatum, glossatum, emendatum esse; verbaque ejus satis intricata et difficilia saepissime etiam tam aperte corrupta esse, ut emendatorem tantum non emissa voce flagitarent: facile concipies non mirum fuisse, si inter omnes, qui auctorem emendare conarentur, unus vel alter hic illic rem acu tetigerit. Quippe, si in media caecorum turba constituerere te saxis petentium, mirarer ni unus alterve tibi oculum effoderet.

Suspicor tamen multos fore, qui huic rationi meae non acquiescant, qua omnia, quae speciosa in libris praeter R^1B^1 reperiantur, divinationi potius, quam sincerae verborum traditioni, accepta refero. Cujus generis criticis adeo non infestus ero, ut laudare potius velim, quod in re difficillima assensum non temere et incaute praebeant: scimus enim quot quantaque mala ex eo profluxerint (unum e multis exemplum proferam), quod Senecae codicem Etruscum quasi unicum veritatis fontem nonnulli laudavere. Sed nondum usque eo perventum est, ut de codicum cognatione satis accurate judicare possimus, cum multi restent libri pervetusti, quos adhuc nemo contulerit. Itaque non in eo nunc laboro, ut R^1B^1 unicos testes, ceteros omnino neglegendos esse ostendam; sat erit, si (id quod jam me perfecisse spero) praestantissimos ostendero et in ipsis erroribus suis veritatis scintillas saepe servare. Martianum edituro restat, ut inter antiquissimos ejus operis libros, quorum satis bona seges est, eos perquiram, quibus ante perscribi contigerit, quam Remigiorum et Pseudoremigiorum

manibus omnia conspurcarentur. Quod cum (si di faveant) confecero, Martianum quidem spero Romana civitate digniorem visum iri; mihi vero, lector (licet enim hominibus de sua gloriola aliquantum cogitare) praeclare omnia contigisse putabo, si Petersenio quam Koppio me propiorem accessisse arbitrabere.

NEDLANDS JAMES WILLIS

ADDENDA

Cum ea, quae praecessere, jam typothetarum manibus tererentur, non desinebam, lector candide, alios Martiani locos diligenter scrutari, si forte et alias corruptelas vel codicum vel divinationis ope tollere mihi contingeret. Hinc factum est, ut alia ad Martianum pertinentia haberem parata, quae nunc insigni bibliopolae philobibli humanitate hic ad finem disputationis subjungere licet.

637K.: p. 311,10 Umbri mox Latiumque atque ostia Tiberina dehincque ipsa caput gentium Roma, armis viris sacrisque, quamdiu viguit, caeliferis laudibus conferenda.] Nulla ferme Martiani sententia notior est quam haec, ubi Urbis vel interitum vel nescioquam deminutionem in transcursu videtur notare; quippe ab omnibus passim laudatur, qui litterarum Romanarum historiam conscribentes de Martiani aetate disputant. Sed turpissima corruptela laborat hic locus, quem neminem editorum adhuc sanavisse demiror. Primum enim quaero abs te, lector benignissime, qualesnam rearis esse caeliferas illas laudes, quibus Roma confertur. Nam *caelifer* qui recte dici possit, docent nos poetae Latini. Vergilius Aeneidos sexto: "ubi caelifer Atlas axem umero torquet stellis ardentibus aptum;" Naso Fastorum tertio: "Hinc sata Pleione cum caelifero Atlante jungitur;" Silius decimoquinto: "quaque ad caeliferi tendit plaga litus Atlantis;" et, ne diutius obtundam, de Atlante Statius, Avienus, Germanicus Caesar in Arateis, de Atlantis columnis Priscianus in Periegesi, denique de Hercule Seneca in Herc. Furente; quos omnes locos laudat Thesaurus ling. Lat. p. 74,68ss. Vides caeliferum eum dici, qui caelum vel ferat, ut Atlas, vel olim tulisse dicatur, ut Hercules. In eodem Thesauro unum hunc Martiani locum allegatum invenies, unde significatio 'ad caelum ferens, caelestis' illustretur. Deinde quaero, si quis concedere velit *caeliferas laudes* esse caelestes laudes, quidnam sit istud, caelestibus laudibus aliquem conferre. Ecquemne audivimus ita loquentem: "Marcum Tullium maximis laudibus conferendum censeo?" Equidem ne civi quidem Romano eum conferendum censeam, qui ita loqui audeat. Nam Latinum est, "Maximis laudibus

Cicero celebratur;" item Latinum est, "Maximis Graeciae oratoribus Cicero jure confertur;" maximis vero laudibus conferri nemo potest. At non quasi barbarum eum derideam, qui Ciceronem ipsius Demosthenis laudibus conferendum dixerit; est enim compendiosa comparatio, ut cum grammaticis loquar, statimque intelligimus revera Tullium Demostheni, vel Tullii laudes Demosthenis laudibus conferri. Similis locutio esset, si negares ullam urbem Romanae urbis magnitudini conferri posse; sed nimis absurde loqueretur, qui diceret, "Haec urbs ingenti magnitudini conferri potest". Denique, ut et tertio argumento vulgatam abiciendam coner ostendere, vetustiores et sinceriores libri aliter locum exhibent; quippe in R¹B¹C¹ est *caeli vri laudibus*, qua lectione nihil sincerius, nihil Latinius, nihil elegantius. Loqui enim meminerimus Geometriam in ipso deorum coetu, quae cum velit urbi Romae quantum potest maximum praeconium tribuere, ipsis caelestium regionibus paene aequandam fuisse dicit: *quamdiu viguit, caeli vestri laudibus conferenda.*

738K.: p. 372,14 Namque omnes numeri intra decadem positi aut gignunt alios aliisque gignuntur aut procreantur: hexas, ogdoas generantur tantummodo, tetras autem et creat et creatur, heptas vero, quod nihil gignit, eo pervirgo perhibetur.] Haec ejusmodi sunt, ut a sano homine scripta esse non possint. Nam primum quidem vide, obsecro, quam male turbata sit loci ipsa materies. Numeri omnes, inquit, ab uno usque ad novem, aut gignuntur ex aliis aut alios gignunt, solo septenario excepto; quod ut demonstret, senarium quidem et octonarium gigni dicit, quaternarium et gigni et gignere; de ceteris numeris omnino tacet. Male mehercle rem tuam gessisti, mi Martiane, nam ut rem tuam decenter ageres, dicendum erat monadem, dyadem, triadem, pentadem alios numeros intra decadem generare, hexadem, ogdoadem, enneadem ex aliis gigni, tetradem et gignere et gigni. Et de materia quidem haec dicta sint; verba vero si inspiciamus, multum mirabimur illud 'AUT gignunt alios aliisque gignuntur AUT procreantur', qua verborum formula numeri in duas classes dividi videntur — unam videlicet eorum, qui et gignunt alios et aliis gignuntur, alteram eorum, qui procreantur; quod quam absurdum sit, nemo non videbit, nisi forte qui luscis invideat. Temptemus igitur, patientissime lector, ita locum restituere, ut Martiano aliquam saltem rerum intelligentiam concedamus, simulque ostendamus perversam hanc

lectionem ex facili et fere cotidiano erroris genere oriri potuisse. Arbitror equidem sic primitus scriptum fuisse: *Namque omnes numeri intra decadem positi aut gignunt alios aut aliis gignuntur aut semel gignunt alios aliisque gignuntur aut procreantur.* Quippe facillimum fuit properanti librario a prioribus *gignunt alios* ad posteriora transire. Sane mallem abessent verba illa *aut procreantur,* quae ex mera prolixitate Punica nata videantur; sed Martianum nostrum non temptabimus quasi Tulliana incude refingere. Ad sequentia properandum; quae sic reliquisse Martianum opinor: *nam dyas trias pentas alios procreant, non ipsi procreantur, hexas octas <enneas> generantur tantummodo, tetras autem* e.q.s. Nam hic quoque similis error versari potuit, librario a primo *procreantur* ad alterum transeunte. Incerta esse haec supplementa non equidem negaverim; sed facilius credam ejusmodi verba per librariorum incuriam excidisse, quam tantam socordiam, tam in materia quam in verbis, ipsi auctori tribuendam esse.

Sed nondum manum de tabula; superest enim alia corruptiuncula, cui tamen facilis praesto est medela. Vox illa *pervirgo* nusquam alibi apud auctores Latinos reperitur, id quod non multum admirationis movere debet, cum sensus nullus tali vocabulo insit. Nam omnis femina aut virgo est aut virgo non est; plus virgo Flora quam Catulla, vel minus virgo Lesbia quam Cluvia esse non recte dici potest. Itaque, quae epitheta *per* praefixum habent, ejusmodi sunt, ut magis et minus recipere possint, ut 'perbonus', 'permagnus', 'perpulcher' 'pertinax' etc.; contra 'permortuus' vel 'pervivus', 'percivis' 'perhostis' non reperiuntur. Cum igitur vox illa neque usquam alibi occurrat neque ullum sensum habeat, quaerendum est, num ex mera scribarum neglegentia oriri potuerit. Sic opinor; nam praefixum illud *per-* ex sequenti vocabulo *perhibetur* arripuit scriba notissimo erroris genere. Et ut hic anticipando, sic inferius (p. 375, 11) perseverando peccavit; nam quod Dickius in verborum contextu exhibit *perfecta forma,* id ex felici conjectura in β^1A ortum est; $\beta^2\Lambda^2$LR^2 habent *perfecta per formam,* B^2 habet *perfecta ter forma,* $\Lambda^1R^1B^1$M archetypi lectionem repraesentant, i.e. *perfecta performa.* Pro *pervirgo* igitur legendum *virgo.*

Postremo (nondum enim te dimitto, lector) non omnino assentior Dickio a verborum memoria in ipso hujus loci initio discedenti. Nam illud *namque* libris male fidis βA$\Lambda$$L^2B^2$ debetur, cum in L^1RB^1M legatur *nam quod.* Item paullo inferius *heptas vero* habet

solus A[1], cum βA[2]L[2] habeant *eptas autem*, L[1]RBM habeant *at* (vel *ad*, quod idem est) *eptas autem*. Sane delendum est *autem*, quod ex praecedentibus *tetras autem* irrepsit; sed *quod* et *at* omnimodo retinenda sunt. Similis enim locutio est apud Propertium eleg. 3.12,9

QUOD non Taenariis domus est mihi fulta columnis,
    nec camera auratas inter eburna trabes,
nec mea Phaeacas aequant pomaria silvas,
    non operosa rigat Marcius antra liquor;
AT Musae comites e.q.s.

Totus igitur locus sic est exhibendus: *Nam quod omnes numeri intra decadem positi aut gignunt alios aut gignuntur ex aliis aut simul gignunt alios aliisque gignuntur; monas dyas trias pentas alios procreant, non procreantur, hexas octas enneas generantur tantummodo, tetras autem et creat et creatur, at heptas, quod nihil gignit, eo virgo perhibetur.*

738K.: p. 373, 8 mox plena, quae dicitur πανσέληνος . . .] Vox ista πανσέληνος editoribus (Eyssenhardtio excepto) adhuc placuit, quam tamen nemo cordatus tueri poterit, cum semel librorum testimonia perpenderit. Nam *pleroselinos* R[1]B[1], *pleroselenos* A[m]LM, *plerosolenos* AR[2], *plerosilenos* B[2], *plenos elenos* β, *panselenos* habet solus A. Vox Graeca πληροσέληνος, licet non usitatissima, apud Suidam tamen et apud schol. in Aristophanis Nubes (v. 750) reperitur; itaque Eyssenhardtio prorsus assentior hic quoque πληροσέληνος reponenti.

756K.: p. 386, 13 Similes autem plani numeri sunt, quorum latera eandem rationem habent, ut VI et DC, cum illis in altero latere II et in altero III, his in altero XX, in altero XXX sint.) Sic Dickius locum constituit, rectissime quidem, si rem mathematicam spectes, sed non secundum libros, qui omnes habent *CC* et *CCC* ubi ille posuit XX et XXX. Sane nemo, qui arithmeticam probe noverit, negabit 300 × 200 efficere 60,000, non 600; sed cum a septenni filio meo quaesissem, quid esset 3 × 2, et ille respondisset 6, iterum quaerenti mihi, quid esset 300 × 200, statim respondit 600. Non quidem id affirmo, benignissime lector, septennem fuisse Martianum, cum de Philologiae nuptiis scriberet; sed ostendere cupio, ejusmodi errorem in eum cadere posse, qui

arithmeticae non multum temporis et olei impendisset. Dixerit quispiam librarii fuisse errorem, qui XX in *CC*, XXX in *CCC* data opera corruperit. Vellem credere equidem, ne ejusmodi oscitantiam Martiano cogerer obtrudere; sed vide, quae sequuntur: "Eodemque similes etiam in crassitudine numeri sunt, quorum latera sub eadem ratione sunt, ut XXIV et LXXXXVI; nam ut in illis alterum latus III et alterum IIII habet . . ., sic in his alterum latus VIII, alterum VI recipiat." Deinde addit: "Quae est autem inter duos et tres, CC et CCC ratio, quaeque est inter III et IIII, VI et VIII, manifestum erit, simul atque rationes, quae inter numeros sunt, subiecero," quem locum ab editoribus depravatum ad sanitatem reduxi De Mart. Cap. emend. p. 57s. Vides, lector, si p. 382, 15-16 XX et XXX reponenda statuas, tum et p. 387, 3 pro *CC* et *CCC* reponenda fore XX et XXX; immo ulterius si spectes, p. 390, 20 pro *CCC ad CC reponenda* XXX *ad* XX et p. 390, 21-22 XX et XXX pro *CC* et *CCC*. Illud igitur facilius credam, Martianum et filium meum in re arithmetica aeque desipere.

757K.: p. 387, 15 Neque ulla ratio numeri ad numerum, quae non intra haec est.] Hoc Latinum non est. Non enim licet dicere, "Nemo est qui diutius vivere non cupit," sed conjunctivo omnimodo utendum est, ut, "Nemo est Romae, qui Ciceronem non audierit." Pronomen relativum *quae* omittunt ΛLRB¹MC rectissime; lege *Neque ulla ratio numeri ad numerum non intra haec est.*

770K.: p. 397, 15 Uno autem modo impar numerus procedit, si numero numerus non adicitur eiusdem generis; seu par impari seu impar pari, impar erit.] Hic quoque nimium credidit Dickius Bernensi suo. Videamus codicum testimonia. Pro *seu*, quod conjecit Dickius, omnes habent *sed*. Dein sic:

par impari seu impar pari impar erit β
par impari et impar pari A
pari impar Λ¹B²M
par impari impar Λ²L
impari impari par R¹C¹
pari impari par B¹R²C²

Archetypi lectionem servat, ut fere semper, Reichenauensis prima manu. Scripsit autem Martianus: *Uno autem modo impar numerus procedit, si numero numerus non adicitur eiusdem generis, sed impar*

pari, impari par. Nam nihil in archetypo titubatum erat, nisi quod pro *imparpari* scriptum erat *impari.*

NEDLANDS JAMES WILLIS